73

6
32 L
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8.-4.B.73

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ORIGINE ATQVE PRIMORDIIS GENTIS FRANCORVM CARMEN

AVTHORIS INCERTI, SED qui Caroli Calui, cui inſcriptum eſt, ætate vixit.

Nunc primùm prodit cum Notis Hiſtoricis, in quibus è veteribus monumentis multa illuſtrandæ, tum ciuili, tum Eccleſiaſticæ Francorum Hiſtoriæ opportuna eruuntur.

Acceſſit Diſſertatio de Ariſitenſis Epiſcopatus nomine, ſitu, inſtitutione, progreſſu, ac Præſulibus.

Opera & ſtudio R. P. Thomæ Aquinatis à ſancto Ioſeph Carmelitæ Excalceati, Prouinciæ Aquitaniæ Definitoris.

Bibliothecæ Sec. N. Coll. Rom. Soc. Jesu

PARISIIS,
Apud ANTONIVM BERTIER, ſub ſigno Fortunæ.
M. DC. XLIV.
Cum Priuilegio, & Approbatione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

4 4 C

Digitized by Google

LVDOVICO
DECIMO IV.
REGI CHRISTIANISSIMO,
ADEODATO.

INſcriptum Carolo Caluo, Regi Francorum Chriſtianiſſimo Carmen, inſcribo tibi Ludouice Rex Francorum Chriſtianiſſime; neque ſanè alteri cuiquam debui. Quamquam enim exiguum, opus tamen vndequaque Regium eſt; iubente Rege ſcriptum, inſcriptum Regi, & ſecundæ Regum ſtirpis origini recenſendæ conſecratũ; dignisſimum proinde, quod Tibi etiam in ætate minima Regi maximo inſcribatur. Accedit quod

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

præter Sceptrum, & Coronam, vnum Tibi cum Carolo Caluo commune eſt. Habuit ille Auum Magnum cognomine, reapſe Maximum. Habuit patrem, cui Pietas, & Iuſtitia cognomina Sceptris omnibus illuſtriora fecère: Tu Auum animi, rerumque geſtarum Magnitudine magni nomen conſequutum, Maximi promeritum, ac parentem nulli pietate ſecundum, & quo non iuſtior alter ſortitus es; Multis tamen nominibus Carolo Caluo fœlicior. Primùm, quod Patre progenitus es longè fortiore, & fœliciore, qui Triumphorum ſuorum gloria Chriſtianum orbem impleuit; Deinde, quod Matre in lucem editus longè nobiliore, quæ duodecim Imperatores inter Maiores ſuos numerat, & quod inaudita fœlicitatis genus eſt, quàm Regum potentiſsimorum Filiam, Sororem, Coniugem, Matrem Europa vniuerſa veneratur: Denique, quoniam conſpirantibus omnium regni Ordinum votis expetitus, Cœloque tandem annuente conceſſus, glorioſum; vnique duntaxat Regum noſtrorum Auguſto tributum, Adeodati Nomen, non tam ſuprema Parentis Iuſtiſsimi voluntate,

Digitized by Google

quàm æterna Numinis diſpoſitione adeptus es. Accipe itaque, Rex Christianiſſime, & fœliciſſime, Carmen, quod ætati & Dignitati Tuæ conſentaneum eſt; ætati, quia exiguum; Dignitati, quia Regium. Accipe opuſculum, quod longè amplioris, & operoſioris operis, cui titulus eſt, Monarchia Francorum ſancta; *ſub Auguſtiſſimo Tuo nomine propediem, ſi Superi faueant, edendi, Præludium eſt, & Authoramentum. Et cùm per ætatem Tibi licuerit piiſſimos, & fortiſſimos, quos Carmen iſtud recenſet, Principes, Ansbertos, Arnoaldos, Arnulphos, Anchiſos, Pipinos, Carolos, Ludouicos ingentia planè nomina intuere, atque generoſa illorum æmulatione in ſummam pietatem, ſummamque fortitudinem ſub ſcaula Reginæ Parentis, & Regentis, in qua omnia ſumma ſunt, educatione ſenſim adoleſce, vt in ſummo regnorum apice conſtitutus, ſumma regnantium fœlicitate potiaris, atque (vt Regem alloquens egregia planéque regia Poëtæ noſtri ad Regem verba vſurpem,)*

Sis decus omne tuis, vnuſque habearis vt omnes,
Hos referens armis, illos pietate fecundans.

Id vouent, & optant populi tui (Rex Chriſtianiſſime) *id ego ex illis vnus voueo, opto, & vt fiat quàm enixè poſſum æternum Numen precor*

MAIESTATI TVÆ,

Deditiſſimus ſubditus & ſeruus.
F. Thomas Aquinas à ſancto Ioſeph, Carmelita Excalceatus.

Pariſiis, in Conuentu ſancti Ioſeph, die 7. Octobris, anno 1644.

Digitized by Google

LICENTIA ORDINIS.

Frater Bernardus à ſancto Ioſeph, Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Prouinciæ Ieſu Mariæ Ioſeph, in Aquitania Prouincialis.

FAcultatem concedimus P. Thomæ Aquinati à ſancto Ioſeph Prouinciæ noſtræ Definitori, Typis mandandi Carmen hactenus ineditum *De origine Gentis Francorum, cum Notis Hiſtoricis, & Diſſertatione, de Ariſitenſi Epiſcopatu.* poſtquam ei à duobus Ordinis noſtri Theologis lecta & approbata fuerint. In quorum fidem præſentes dedimus manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas. Datum Toloſæ die 24. menſis Auguſti anno 1644.

Fr. Bernardus à ſancto Ioſeph
Prouincialis.

Digitized by Google

APPROBATIO
Theologorum Ordinis.

NOs infrà ſcripti teſtamur, librum cui titulus eſt, *De origine & primordiis Gentis Francorum, Carmen Authoris Incerti, ſed qui Caroli Calui, cui inſcriptum eſt, ætate vixit, cum Notis Hiſtoricis, ac præterea Diſſertationem de Ariſitenſis Epiſcopatus nomine, ſitu, inſtitutione, progreſſu, ac Præſulibus. Opera & ſtudio R. P. Thomæ Aquinatis à ſancto Ioſeph, Prouinciæ Aquitaniæ, Carmelitarum Excalceatorum prim. Definitoris.* Nihil omnino quod fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, aut bonis moribus aduerſetur continere, illudque opuſculum multa ſcitu digniſſima, & quibus tum Eccleſiaſtica, tum ciuilis Francorum Hiſtoria illuſtratur, Lectoribus exhibere. In quorum fidem nomina noſtra hîc appoſuimus. Datum in Conuentu noſtro Pariſienſi ſancti Ioſeph, die 7 Octobris, anno 1644.

Fr. Ludouicus à Matre Dei,
Prior Pariſienſis.

Fr. Ludouicus à ſancta Thereſia.

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI ERVDITO, & Hiſtoriæ Francicæ ſtudioſo.

ECce vulgamus (Erudite Lector) Carmen non ineruditum , & pro ea, qua ſcriptum eſt ætate, ſatis elegãs, in quo ſecundæ Regum Chriſtianiſſimorũ ſtirpis, quæ Carolina dicta eſt, Natales nobiliſſimi recenſentur ; atque ab iis ſtemma illuſtriſſimum vſque ad Carolum Caluum deducitur ; cuius editionis cauſæ in Præludio ad Notas Hiſtoricas, quibus Carmen illuſtrauimus, à nobis expreſſæ ſunt. Neque ſanè animus erat, aliquid hîc vel breuiter præfari, niſi cùm iam huius opellulæ editio abſoluebatur, ſubiiſſet mentem operæ pretium, adeoque tibi non ingratum fore, ſi ſecundæ Regum noſtrorum familiæ Schema Genealogicum, quale illud ex hoc carmine, quod ſubminiſtrauit nobis Codex vetuſtiſſimus mss. qui adſeruatur in Bibliotheca Conuentus noſtri Claromontani apud Aruernos, atque ex Notis Hiſtoricis illi adiectis confici poteſt exhiberemus, quod propterea confecimus, & Carmini præfigendum curauimus. Vale.

Digitized by Google

Schema Genealogicum ſecundæ ſtirpis Regum Chriſtianiſſimorum. Ex Carmine, ac Notis illi adiectis.

Ferreolus, Papianilla filia Siagrij, de quibus Sydonius.

Tonantius Ferreolus, de quo & fratribus Sydonius.

Ferreolus, Induſtria vxor, de quibus vita mss. ſancti Firmini, quam vxorem ex Paulo Vuarnefrido oportuit eſſe Clodouei primi Regis Francorum filiam.

Anshertus Senator. Blithildis vxor, filia Clotharij I.

Arnoaldus, Ferreolus Epiſcopus, Mundericus Epiſc. Tarſicia Virgo.

Arnulphus D Oda vxor, quam Monachus S. Arnulphi commemorat.

Angeſiſus, Clodulphus Epiſcopus, Vualchiſus.

Pipinus Heriſtallus

Carolus Martellus.

Pipinus I. Rex, 2. ſtirpis.

Carolus Magnus.

Ludouicus Pius.

Carolus Caluus.

Digitized by Google

ORIGO ET EXORDIVM GENTIS FRANCORVM.

Ex vetuſto Codice mss.

Carmen hactenus ineditum.

CLARE tibi celſæ referam primordia Gentis,
Karole, tantorum titulis inſignis auorum,
Quos pietate probos, meritis actuq; verendos,
Conſpicuos armis, firmos & fœdere pacis
Collocat in ſolium rerum, regumque Creator.
Iure legens veteres proauos ab origine reges
Sis decus omne tuis, vnuſque habearis vt omnes,
Hos referens armis, illos pietate ſecundans.
Cùm tibi proſa tuam celebraret in ordine Gentem
Verſibus hanc noſtræ libuit ceciniſſe Camœnæ
Vt ſine lege probis, quæ non eſt indita viuens
Et cum lege Dei, fœlix ſerueris in æuum.
Incipe Cæſareas verſemus ab ordine cunas
Ille iubet, parere decet te fiſtula noſtra.

Digitized by Google

Quæ celebranda forent, præmiſsis intulit ipſe
Quæ tibi ſunt comperta [illegible]lo, tu carmine pande.
Aurea cùm totum regnaret Roma per orbem
Conſilijs, ſublime caput ſolemniter aſtris
Extulit, ac tonitru ſonuit per climata mundi
Horrida permiſcens nimboſis fulmina bellis,
Gallia tunc tanto tremuit concuſſa fragore,
In medioque tui tenuit tum forte Senatum
E ſenibus natu ſapiens, quem Roma coëgit
Ipſa feros inter referens moderamina mores.
Procubuit tandem multo de ſanguine feſſa,
Romanoſque ſenes licet indignata recepit,
Surgit ab his igitur, nitido de ſanguine ſplendor
Lucifer, vt reliquis aſſurgit blandior aſtris,
Ansbertus generis portans inſignia clari
Nobilius ſed corde iubar, ſpecimenque rependens
Diues opum, larguſque manu fulgebat in auro.
Bellipotens tunc dura tui Clotarius arma,
Sceptraque victrici retinebat forte valenter,
Francia nomen habens, proprio de nomine Franci,
Huius erat plenis iam filia nubilis annis,
Roma tibi claros, quæ poſſet ferre nepotes.
Copulat hanc thalamo vir diues, & inclytus ille
Nomen erat Blithold, multorum linea regum.
Sic igitur ſic Roma tuos adcreſce triumphos,
Iunge quod æterno maneat ſub fœdere pignus.
Viderat hoc certè, Domini ſententia longe,
Connubio tali proles quod ſurgeret alta,
Quæ Romam ditione ſua præſcriberet amplam,
Francorumque ſimul duras agitaret habenas.

Tu iuuenis, tu pulcher eras in ſemine tali
Carole, multorum non improuiſe laborum,
Denique ſic generis teſtatur in ordine proſa,
Et regale duces paulatim nomen adornant,
Suſcipit Anſbertus clara de coniuge natos
Tres, & nata fuit fœlici dote virago.
E quibus Arnoldum primogenitum vocitauit,
Ferreolum ſic deinde videns, iubet eſſe ſecundum,
Tertius aſſurgit Modericus in ordine frater,
Quarta puella Dei Tharſicia dicere ſemper
Quis honor, iſque decus pandam memorabile manſit
Præſul eras, ſed martyr ades, Feriole perempte
Sanguine fœda tuo teſtatur Vcetia palmam
Quæ retinet cineres, repetit ſed ſpiritus aſtra,
Tu quoque fraternos Moderice imitaris honores,
Iuris Apoſtolici culmen ſublimiter ornans
Hariſido confeſſor abis ibidemque quieſcis,
Multaque pro meritis Chriſti miracula virtus
Eſt operata tuis, ſeruantur & hactenus iſta
Virgo Dei caſtis adolens altaria donis
Virgineumque decus ſeruans Tharſicia fructu
Centeno cumulata tenet memorabile nomen
Rodinis, & cuius præſtas inſignia Chriſte,
Pro meritis fieri iugiter, nam mortua fertur
Ad ſuperos, mirum dictu, reuocaſſe cadauer
Accipe virginitas dignam pro munere laudem,
Et potiora vale dum mortua cerneris eſſe
Virginis hoc nullo potuit de ſemine natus
Vos quia celſorum cumulaſtis regna Deorum
Et tria ſcripſiſtis cæleſti nomina libro,

Tu benedictæ dabis ſobolem Harnolde beatam,
Quæ teneat terras, quæ cœlum vertice tangat,
Quæ iuuenem noſtrum hinc vſque ad ſydera tollat.
Te genitore pijs Arnolphus moribus exit,
Pontificiſque gradum meritis ſortitur, & actum
Hoc patre Flodulphus ſuperas deſpexerat auras
Iura ſacerdotij patris de more frequentans,
Filius atque gradum tenuit de more paternum,
Huic erat Anchiſus frater memorabilis æuo.
Viribus infractis ſurgit quo patre Pipinus,
Pipinuſque virum genuit cognomine Carlum,
Carole tu regem referes in ſtirpe Pipinum,
Pipinuſque ſenex Carolum de moribus offert.
Hic vir hic eſt nobis toto laudabilis æuo.
Suſcitet hic validas in te ſua viſcera vires,
Optime rex noſter nomenque inſigniter aptet
Huius in obtentu breuiabo magna relatu
Eccleſiam Chriſti puro veneratus amore
Ornauit, coluit ſemper, prouexit & auxit
Finibus à longis ſophia te Francia compſit
Belliger indomitas deuincens vndique gentes
Tranſtulit ad formam ſanctæ pietatis honeſtam,
Aut ſibi ſubiectos faciens ſeruire Tonanti
Finibus in propriis firmos ſub fœdere pacis,
Inde vel euulſos latum tranſmiſit in orbem,
Saxo dira fremens poteris tu dicere vera,
Mitia qui miti modo ſubdis colla potenti,
Hunne quid inſanos iuuit cumulaſſe labores?
Huius in aſpectu vires cecidere ſuperbæ,
Et ſemel attritæ nequeunt conſurgere, demum

Vidit, & extimuit vacuis Nortmannus harenis
Arma ducis, hæſitque mari, nec littora vaſtat
Qui mea regna modo ferro populatur & igni,
Hiſtoriæ pandent reliquas ex ordine gentes,
Quas auus ille tuus ſenſu perfregit & armis,
Hic ſenium longa produxit pace dierum,
Nomen habens aſtris liquit memorabile terris,
Filius hinc ſcandit ſolium Hluduicus auitum
Pacificus, cultorque Dei, patienſque laborum
Digna ferens, indigna ſimul clementior extat
Sanguinis immunem retinens à funere dextram
Hic decreta patris Benedicti lege tenenda
Sancit & antiquæ renouat legalia normæ,
Cuius erat fautor deuota mente, fideque
Multa ſub imperio paſſum diſcrimina linquo
Vltio quæ forſan rediuiuo tempore punit
Iuſta Dei, monteſque cadunt, valleſque leuantur.
Poſt vbi multiplices compleuit in orbe labores,
Tranſiit ad Chriſtum, vitamque remiſit in aſtra:
Tu modo quem robur regni comitatur ab annis,
Carole ſcande thronum regum ſucceſſor auorum,
In medioque tenens regno diſcrimine libram
Hinc auus, hinc genitor vires, moreſque miniſtrent,
Carolus inuicto feriat mucrone rebelles,
Hluduicus foueat deuota mente ſodales,
Arma tibi Dauid durum conciſcat in hoſtem,
At Salomon charum ſemper coniungat amicum
His eris illæſus dextra læuaque magiſtris,
Conſilio tutus prudenti pectore cautus
Cùm ſcribenda tibi fuerint inſignia geſta

Et matura ſuis ætas adoleuerit annis
Proſequar vlterius, iam carmina parcite venis
Cùm teneam præclara quidem faſtigia rerum
Quæ decus, & nomen celebrant animoſque viriles,
Et tibi feſtiuis applaudunt ritè choræis,
Vt tamen ad finem fuerint deducta citentur,
Alta iubet nunc alta ſequi ſapientia veſtri,
Scilicet vt Chriſti referam miracula verſu,
Dictaque vel homminis forma, vel ſcripta Leonis
Aut Vituli ſpecie, pennis Aquilæue rapacis
Quatuor en libros numero meritoque ſacratos,
Percurrent celeres Domino præſtante Camœna.

Digitized by Google

PRÆLVDIVM
IN QVO
DE SCRIPTIONIS huius tempore & Authore diſſeritur.

PLVRIMA ſunt(Lector erudite) quæ me vt Carmen iſtud ineditum hactenus, ederem, atque editione publici iuris facerem, impulerunt. Primùm quidem vt operis iam abſoluti & breui, ſi Superi fauerint, edundi, quo ſanctorum, qui è regia Francorum ſtirpe prognati ſunt, res geſtæ deſcribuntur, ſpecimen aliquod exhiberem: quamquam enim Carmen breue ſit, octo tamen aut nouem eiuſmodi Cælites 2^{a} prædicti operis parti inſcriptos ſuppeditat, quos in notis commodius recenſebo. Deinde quoniam idipſum Carmen totum quantum eſt 2^{a} Regum potentiſſimorum ſtirpis illuſtrandæ origini eſt opportuniſſimum, quippe quod ab Anſberto & Blithilde coniuge gemina illius ſtirpis radice auſpicatum, imprimis Arnoaldum, Arnulphum, Anchiſum, Pipinum, & Carolum Martellum Duces, ac Maiores domus, ſubindeque Pipinum, Magnum Carolum, & Lu-

Digitized by Google

douicum Pium recenſet, vt ad Carolum Caluum, cuius ætate ſcriptum eſſe conſtat deuoluatur. Quo fit vt minimè dubitem, quin Andræas Duchenius vir eruditiſſimus, id Carmen Hiſtoriæ Francorum ſcriptoribus coætaneis inſeruiſſet, ſi illud incidiſſet in eius manus, maximè cum magni illius operis Tomo 2°. Genealogiam beati Arnulphi, Metenſis Epiſcopi, ex vetuſta membrana ediderit, quæ à Genealogico iſto Carmine abeſt longiſſimè, & grauiſſimè ſtatim in limine offendit triplici errore, alia occaſione purgando. Denique, quoniam viri aliquot non pœnitendæ eruditionis id Opuſculum luce publica digniſſimum iudicarunt, quorum iudicium vix quiſquam eſt eruditorum qui non ſuffragio ſuo comprobet; tum ob ſcriptionis huius vetuſtatem, tum ob eximiam quam vndique ſpirat eruditionem, tum denique ob rerum quæ in ea tractantur grauitatem. Nam quod primùm attinet, quod ſolùm placet hîc attingere, propterea quod reliqua duo prima ſtatim Carminis lectione deprehendentur. Scriptum eſt Opuſculum iſtud ætate Caroli Calui, cui etiam inſcriptum liquido conſtat, & quidem adhuc iuueni vt ij duo verſus clarè demonſtrant.

Cum ſcribenda tibi fuerint inſignia geſta,
Et matura ſuis ætas adoleuerit annis.

Quo fit vt pronum ſit coniicere, haud multò poſt annum 840. quo Ludouicus Pius, Caroli Calui pater mortuus eſt quoque Carolus ipſe annum ætatis circiter 17. agebat, atque adeò fermè ante

800.

Digitized by Google

800. annos Carmen iſtud prodijſſe. De illius porrò authore quis nempe fuerit non ita certo pronunciare poſſumus. Inſertum quidem eſt illud in Codice mss. optimæ notæ, vnde exſcriptum eſt, verſibus magni illius Luxouienſium in Gallia, & Bobienſium in Italia, Abbatis Columbani; ſubſequitur enim in eo Codice verſus, quibus titulus iſte appoſitus eſt *Columbanus Fidolio*, & ſubijciuntur illi verſus eiuſdem Abbatis, quibus iſtud initium eſt *hæc præcepta legat*, &c. Neque tamen propterea quiſquam ſanus Carmen Carolo Caluo inſcriptum nominatiſſimo illi Abbati, qui Sigeberto Clotarij I. filio in Auſtraſia regnante in Galliis verſatus eſt, tribuerit. Itaque Carminis huius author planè incertus eſt, niſi fortè exiſtimet aliquis Carmen illud de laudibus generis Regum Francorum quod in Catalogo Codicum mss. inſignis olim Bibliothecæ Cluniacenſis Lothario Diacono tribuitur, cum hoc noſtro idem eſſe quod tamen cùm illud Lotharij Carmen non extet, eſſet hariolari. Cæterum de Carminis noſtri authore iſta videntur certa, fuiſſe illũ inſtituti Benedictini Monachum, propterea enim inter res ab Ludouico Pio præclarè geſtas, haud omiſit recenſere reſtauratum à magno Principe inſtitutum B. Benedicti quem Author patrem nominat.

Hic decreta Patris Benedicti lege tenenda
Sancit, & antiquæ renouat legalia normæ,
Cuius erat fautor deuota mente fideque..

Quin & paulò inferiùs inſtituti illius Profeſſores ſodales appellat, rogatque Carolum, vt illos inſtar

Digitized by Google

Ludouici parentis mente deuota foueat: 2. vixiſſe illum Ludouico Pio & Carolo Caluo Regibus Francorum, demum Poëtam fuiſſe non incelebrem, & quem Carolus Caluus habuerit in pretio. Nam præter Carmen iſtud heroicum quod magno Principe iubente author ſcripſit, vt ipſemet teſtatur hoc Metro.

Ille iubet, parere decet te fiſtula noſtra.

Pollicetur ſe inſignia eius geſta ſuo tempore ſcripturum, atque interea Chriſti miracula quatuor Euangeliis comprehenſa, libris 4. pedeſtri oratione, exaraturum, quod an præſtiterit mihi planè eſt incompertum. Atque hæc in rem præſentem ſufficient; nunc ad Notas.

Notæ Hiſtoricæ, in quibus è veteribus monumentis multa illuſtrandæ tum Eccleſiaſticæ, tum Ciuili Francorum Hiſtoriæ opportuna eruuntur.

1 O*Rigo & exordium gentis Francorum* Hic titulus Carminis in Codice mss. in fine autem illius appoſita ſunt iſta verba, quæ quamquam nonnihil diuerſa, re tamen ſunt eadem. *Explicit Carmen de origine atque primordiis gentis Francorum, in honore Domni Caroli Regis*, quibus omnibus quamquam Author originem atque primordia gentis Francorum vniuerſim videatur polliceri, de ſola tamen ſecunda Regum Chriſtianiſſimorum ſtirpe id exe-

Digitized by Google

quitur. Quo ſit vt ab alio quàm ab Authore ipſo, titulum appoſitum par ſit exiſtimare. Eſt porrò Carmen iſtud Genealogicum, atque in hunc, vt videtur, finem ſcriptum, vt ſecundam Regum noſtrorum ſtirpem cum prima connectat, quod præſtiterunt ſoluta oratione plures alij, quorum varias ſeries Genealogicas ſecundæ ſtirpis habemus hoc fermè titulo, *Genealogia beati Arnulphi, Metenſis Epiſcopi*, quibus vtendum erit ad Carmen iſtud illuſtrandum, donec illæ in Monarchia Francorum ſancta publica luce donabuntur.

II *Karole, &c.* Familiare admodum Principibus Verſu 2.
ſecundæ ſtirpis Carlomannorum & Carlorum, ſeu Carolorum nomen, vnde etiam ipſa nomen accepit. Primus Carlomannus, pater Pipini Landenſis, cuius genus cum Ansberti genere in Anchiſo coniunctum familiæ potentiſſimæ dedit originem. Deinde verò Carolus Martellus, Carlomannus eius filius, Carolus Magnus, & Carlomannus, Pipini Regis filij, Carolus Magni filius. Denique, vt Craſſum & Simplicem, alioſque poſteriores Carolos omittam, Carolus Caluus, cui Carmen iſtud inſcriptum eſſe clarius eſt, quàm vt egeat demonſtrari, rem conficiunt hi verſus.

Hinc auus, hinc genitor vires, moreſque miniſtrent,
Carolus inuicto feriat mucrone rebelles,
Hluduicus foueat deuota mente ſodales.

Fuit enim Carolus Caluus, Magni Caroli nepos, Ludouici Pij ex Iudith ſecunda coniuge filius.

III *Cùm tibi proſa tuam celebraret in ordine Gentem.* Verſu 9.

Digitized by Google

Certum eſt hîc ſermonem eſſe de Genealogia ſtirpis Carolinæ proſa ſcripta, quam verſibus ſuis imitari Authori libuit. Quod ſi coniecturæ locus eſt, haud dubitauerim adſerere loqui Authorem de Genealogia quam ipſe Carolus Caluus proſa ſcripſerat. Id enim præterea videtur innuere iſte alter verſus.

Quæ celebranda forent præmiſſis intulit ipſe.

Eam porrò Genealogiam proſa ſcriptam, atque à Carolo Caluo ('vt titulus præfert) dictatam habeo penes me è Codice mss. Monaſterij ſancti Bertini, apud Audomaropolim in Belgio, quæ cum aliis, Deo bene iuuante, publici iuris fiet. Verſu

IV *Anſbertus generis portans inſignia clari.* Ab Anſberto Carolinæ familiæ, tot Regibus & Imperatoribus illuſtris genus deducunt & deriuant omnes fermè Genealogiæ, & ſcriptores quos legere contigit. Quod placet hîc teſtimoniis plena manu propoſitis demonſtrare. Genealogia quæ extat in Codice mss. peruetuſto Bibliothecæ Carmelitarum Diſcalceatorum Claromonti, & hunc præfert titulum; In Dei nomine commemoratio de Genealogia domini Arnulphi, Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti. *Anſbertus fuit ex genere Senatorum præclarus atque nobilitatis vir, in multis diuitiis pollens, accepit filiam Clotarij*, &c. Genealogia altera, è mss. Codice Eſpinalli exſcripta *Anſbertus genuit Arnoaldum Ferreolum*, &c. Genealogia tertia inedita dictata, vt titulus præfert, à Carolo Caluo. *Anſbertus nobiliſſimus genuit Arnoldum, ex Blithilde* 29.

Digitized by Google

ſilia Clotharÿ Regis Francorum, &c. Quarta Genealogia, quam pertexuit Monachus ſancti Arnulphi Metenſis, Author vitæ hactenus ineditæ eiuſdem ſancti, illius vitæ libro 2. cap. 37. & 38. *Anſbertus Aquitanorum nobiliſſimus, Blithildem ſibi oppignorauit in matrimonium*, &c. Genealogia quinta, hactenus inedita, quæ habetur in Geſtis Centulenſibus mss. lib. 2. cap. 1. quod eſt de Genealogia Francorum Principum. *Ansbertus vir Senatoriæ dignitatis, Blithildem meruit vxorem, ex qua genuit Arnoldum*, &c. Genealogia ſexta inedita, quæ extat in vetuſto Codice, inſignis Bibliothecæ Corbejenſis, & cuius Author Monachus Afflighemenſis vixit temporibus ſancti Ludouici. *Blithildem duxit Ansbertus, Princeps illuſtris, genere Romanus, ex Imperiali Proſapia ortus, qui genuit ex ea Arnoldum*, &c Genealogia ſeptima, cui titulus eſt *Commemoratio Genealogiæ Caroli Magni*, & quam Henricus Caniſius tomo 5. Antiquæ lectionis vulgauit. *Anspertus, qui fuit ex genere Senatorum præclarus vir atque nobilis, in multis diuitiis pollens, accepit filiam Hlotharÿ Regis Francorum ad coniugem*, &c. Genealogia octaua, quam ex vetuſta membrana inter Metenſis Scholæ reliquias repertam, Duchenius tomo 2. ſcriptorum edidit. *Blithildis ſilia Clotharÿ, habuit Arnualdum, Comitem Palatinum Ansberto.* Author ſeriei Genealogicæ, quam idem vir eruditiſſimus edidit tomo 1. eiuſdem operis hoc titulo Altera ſeries *Fuerunt autem Maiores domus, ex quibus Regalis generatio proceſſit, primus quidem Ansber-*

tus Senator, &c. Vetuſtus Scriptor libelli de Maioribus domus Regiæ, quem vir clariſſimus Petrus Pithæus edidit, & poſt eum Duchenius tomo 2. *Fuerunt Maiores domus, ex quibus generatio Regalis proceſſit, primus quidem Ansbertus Senator, qui ex Blitide* Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli Magni agens de Blithilde, *habuit virum in coniugio nobilem, inter Francos nomine Ansbertum, de quo genuit filium*, &c. Omitto cæteros, & maximè recentiores, qui quæ de Ansberto ſcripſerunt, à veteribus debent eſſe mutuati. Verſu 29.

v *Generis portans inſignia clari*, &c. Ansberti genus Senatorium fuiſſe, adeoque nobiliſſimum expreſsè tradidit Poëta noſter paulo ante, poſtquam enim dixit Galliàm, licet indignatam, recepiſſe Romanos Senes, id eſt Senatores, ſubdit ſubinde de Anſberto.

Surgit ab his igitur nitido de ſanguine ſplendor, &c. Cui conſentiunt laudati paulò ante Scriptores, quibus aut ex genere Senatorum, aut vir Senatoriæ dignitatis, aut Senator Ansbertus dictus inuenitur, & præter illos vetuſtiſſima, & nondum edita ſancti Ferreoli Epiſcopi Vzetiæ vita, vbi Ansbertus ex magno Senatorũ genere, Proſapiam nobilitatis deduxiſſe ſcribitur, à quibus omnibus non abludit Monachus ſancti Arnulphi libro 2. vitæ illius Præſulis, cap. 37. cuius hæc ſunt verba quæ lubenter refero, quod Poëtæ noſtro in multis ſuccinant. *Prædictus Ansbertus, etſi nomine carebat regio, id enim ſolùm nomen Regium Romani ſubiugantes ſibi orbem vendica-*

Digitized by Google

bant non minori tamen præfulgebat dignitate (quibus verbis quæ alia, quã Senatoria dignitas exprimitur?) *Erat enim vir ſpectandæ nobilitatis multis præpollens opibus*,&c. Cæterum,cùm de genere Ansberti Senatorio ac nobiliſſimo tot teſtimoniis conſtet, haud facilè reperias Scriptores, qui de magno illo Principe docuerint qui genus,vnde domo, habemus tamen duos vetuſtos Scriptores quibus iuuamur, ne deinceps natale illius ſolũ , ac parentes ignoremus. Nam quod primùm adtinet, Author vetuſtus vitæ S. Firmini Epiſc. Vzetiæ, quæ nondũ edita eſt, patrem Firmini, quem ex alta parentum Proſapia extitiſſe ſcribit, Narbonenſi Ciuitate oriundum tradit, vnde cùm Firminus Ansberti frater & germanus fuerit, vt ex nonnullis Genealogiis conſtat, Ansberti quoque natales Narbonæ debentur, vnde etiam Ferreolus Vceticenſis Epiſcopus,& Firmini ſucceſſor in vita ſuperius citata, & Ansberto progenitus, & natione Narbonenſis diſertè traditur, vt imposterum dubitari non debeat, quin Narbona ſit natale ſolum Ansberti, quod ſcripſit etiam qui laudatam à nobis vitam legerat vir eruditus Petrus Caſanoua, in Inſtructionibus de Allodio(.vt vocant)Franco.Neque aduerſantur vetuſti Scriptores duo, quorum alter Ansbertum, Aquitanorum nobiliſſimum, alter genere Romanũ appellat, hic enim genere Romanum dixit , quod è Senatoribus qui Romæ originem debebant ortum putauerit, quemadmodum & Poëta noſter à Senibus Romanis genus illius deriuat, ille verò Aquitanorum nobiliſſimum , non ſolùm

Digitized by Google

quod totum illius genus in Aquitania prima fuerit potentiſſimum, de quo alibi dicendum eſt, ſed & quoniam antiquitus Narbonenſis Prouincia intra Aquitaniam cenſebatur, qua de re vt plura omittam, videndus Aymonius in Præfatione ad Geſta Francorum editionis Breulij pag. 7. vbi egregiis Aquitaniæ vrbibus Narbonam & Toloſam annumerat, videndus Author Incertus: ſed coætaneus vitæ & actuum Ludouici Pij recenſens ad annum 778. inter Comites per totam Aquitaniam, à Carolo Magno ordinatos, Chorſonem Toloſæ Comitem, quæ erat in Narbonenſi. Videndus prætereà vtroque vetuſtior Eginhardus in Annalibus de Geſtis Pipini Regis, ad annum 767. vbi Narbonam & Toloſam intra Aquitaniam non obſcurè conſtituit. Denique videndus Bernardus Guidonis, Epiſcopus Luteuenſis, in deſcriptione Galliarum, quam ex Chronico mss. edidit Duchenius tomo I. Scriptorum ex qua id duntaxat referam. *Secundùm antiquos & Iſidorum Narbonenſis Archiepiſcopus, Primati Bituricenſi ſuberat, vt habetur in Decreto*, &c. Quæ Bernardi verba ex variis Catelli viri clariſſimi in Hiſtoria Occitana lib. 5. Obſeruationibus illuſtrari poſſunt, quas conſulto omittimus. Quod adtinet verò ad ſecundum, parentes nempè Ansberti, vnus Author vitæ ſancti Firmini, illorum nomina conſeruauit. Nam in ea vita rogatus à Miniſtro Roricij Vceticenſis Epiſcopi, Firminus ex qua Prouincia eſſet, vel ex qua gente progenitus, reſpondiſſe ſcribitur in hæc verba.

Pater

Pater meus Ferreolus vocatur, mater verò mea Induſtria vocatur nomine. Pater iaque Ansberti Firmini fratris Ferreolus, quæ haud dubiè cauſa fuit cur Anſbertus vni è filiis Ferreoli nomen impoſuerit, nepoti nempe Aui nomen, mater verò Induſtria, de quibus nonnulla obſeruanda ſunt, vt de Ansberti genere amplius conſtet.

De patre nullus dubito quin fuerit ille è Ferreolorum familia in Narbonenſi prima nobiliſſima, & potentiſſiima, quam illuſtrarunt duo Ferreoli viri præfectorij, quorum meminit variis locis vtrique amiciſſimus Sollius Sidonius. Alter eſt Ferreolus, ille vir præfectorius, in cuius Pruſiano prædio amœniſſimo in agro Nemauſenſi ſito exceptus, voluptuoſiſſimum tempus exegit, vt teſtatur Epiſtola nona, libri ſecundi, & ad quem apud Treuidum in finibus Ruthenorum agentem, librum mittit in Propemptico, vbi vocat illum *Rectorem columenque Galliarum*, & coniugem eius Papianillã eximiis laudibus celebrat. Alter eſt prædicti filius ad quem ſcribit lib. 7. Epiſt. 12. & quem Tonantium lib. 2. Epiſt. 9. atque in Propemptico, lib. verò 1. Epiſt. 7. Tonantium Ferreolum appellat. Nam falli eos qui Tonantium à Ferreolo diſtinguunt Sirmundus eruditiſſimus in Notis rectè demonſtrat, quemadmodum & nequaquam fuiſſe illum Epiſcopũ Arelatenſem, quod Sauaroni eruditiſſimo viſum fuerat. Neque verò hic exiſtimandus eſt Ferreolus Ansberti pater; nam ætas repugnat, quandoquidem ex Epiſtola 12. lib. 7. eum Ferreolum poſt an-

uum 450. præfectura Galliarum functum idem Sirmundus in Notis colligit. Fuit itaq; Ansberti pater Ferreolus huius Ferreoli filius, vt nomen, natale ſolùm in vita mss. Firmini illi tributum, ætas, atque nobilitas perſuadent, habemuſque tres Ferreolos; primum Siagrij, viri præfectorij generum Papianillæ maritum, Ansberti proauum: ſecundum, dictum Tonantium, virum quoque Præfectorium, eiuſdem Ansberti auum, qui in Epiſtola 7. lib. 1. inter Legatos Prouinciæ aduerſus Aruandum Præfectum Prætorio Romam miſſos à Sidonio numeratur primo loco, & cuius fratres, *Lectiſsimi Æqueuorum nobilium Principes*, ab eodem appellantur lib. 7. Epiſt. 12. Tertium deniquè, quem Ansberti patrem ex Firmini vita mss. paulò ante monſtrauimus, atque hæc de paterno genere.

Maternum verò Ansberti genus, ad Clodouæum Francorum Regem, Chriſtianiſſimæ Monarchiæ conditorem referendum eſt, ſi fidem habemus Paulo Vuarnefrido, docenti in libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, Aygulphum, quem inter eos recenſet matrę genitum Clodouæi filia, Ansbertum enim & Aygulphum fratres fuiſſe, veterum Genealogiarum teſtimonio conſtat, vt alibi obſeruandum erit. Quidni verò fidem habeamus Scriptori non inerudito, neque indiligenti, qui Magni Caroli ætate vixit, & quem à ſummo illo Principe multa de maioribus eius didiciſſe, certum eſt ex eodem libro in Arnulpho? Scimus opponi poſſe hinc ſequi Ansbertum, & Blithildem fratrueles eſ-

ſe, inter quos connubia iniri Canones vetabant. Verùm, vt omittamus diſpenſari potuiſſe, ſanè qui intuebitur qua libertate connubia ea ætate contrahebantur, contracta inter fratrueles non mirabitur.

VI *Nomen erat Blithild &c.* Quicumque Ansberti coniugem ex nomine deſignauerunt, cōſentiuut Authori noſtro in nomine illo exprimendo, nec enim vel vnus eſt, apud quem nobiliſſima illa & regia Princeps, aut Blithild, vt hic, aut Blitildis non nominetur: nam quod alicubi dicta inuenitur Plithild, quemadmodum & maritus eius Anſpertus pro Anſberto, ſcriptoris error eſt. Conſentiunt quoque in deſignando patre illius Clothario, quamquam quis ille fuerit Clotharius non vna ſit omnium conſenſio aliis Clothario ſecundo, Chilperici filio, aliis Clothario primo, Chilperici patre natam Blitildem, adſerentibus aliis Clothario abſolutè, & ſine nota, quæ vel primum, vel ſecundum deſignet Clotharij ſecundi filiam Blitildem tradunt non pauci veteres. Author Seriei Genealogicæ quam Duchenius edidit tomo 1. pag. 795. *Ansbertus Senator qui ex Plithil filia ſecundi Clotharij, &c.* Vetuſtus ſcriptor in libello de Maioribus domus Regiæ, qui Tomo 2. Duchenij editus eſt. *Ansbertus Senator ex Blitilde filia Clotharij ſecundi genuit Arnoldum.* Monacho Engoliſmenſi in vita Caroli Magni, eodem tomo 2. edita, Blitildis dicitur genita à ſecundo Clothario, & ſoror Dagoberti. Monachus Afflighemenſis, in Genealogia inedita, ſuperiùs citata: *Clotharius Rex* Verſu 38.

genuit Dagobertum Regem , & Bliſthildem. His addi poſſunt Author Anonymus vitæ ſancti Genulphi, libro 2. cap. 4. quam vitam in Bibliotheca Floriacenſi edidit Ioannes à Boſco.Bernardus Guidonis, Epiſcopus Luteuenſis in Arbore Genealogica inedita, quæ in variis Bibliothecis occurrit, extatque in Claromontana Carmelitarum Excalceatorum,& ex Recentioribus Sebaſtianus Roüillardus in vita ſanctæ Eliſabethæ, ſancti Ludouici ſororis cap primo , quod eſt de illius virginis Regiæ Genealogia.

Clothario I. Blithildis natales adſcribunt Monachus ſancti Arnulphi lib. 2. vitæ eius cap.37. vbi poſtquam recenſuit filios I. Clotharij ſubdit ;*Habuerunt etiam duas ſorores Clotildem* (illa eſt quam Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Clotoſuindam appellat,vt ex ſequentibus conſtat) *& Blitildem, Albuin Rex Longobardorum, Clotildem duxit vxorem , Anſbertus Aquitanorum nobiliſſimus Blitildem ſibi oppignorauit in matrimonium* , vbi vides teſtimonio iſtius ſcriptoris vetuſti Blitildem ſororem fuiſſe eius Regiæ virginis, quæ Alboino Longobardorum Regi denupta eſt, quam Clothario I. natam certiſſimum eſt ex Gregorio Turonenſi lib. 4. Hiſtoriæ cap. 3. Author vetuſtus Geſtorum Centulenſium lib. 2. cap.1. *Quartus Rex Francorum Clotharius, illius quem ſanctus Remigius baptizauit, Hlugdouici filius , genuit filiam , nomine Blitildem , quam Ansbertus vir Senatoriæ dignitatis meruit vxorem.* Author Genealogiæ beati Arnulphi ab Duchenio tomo ſecundo ſcri-

Digitized by Google

ptorum editæ, poſtquam recenſuit filios Clodouei, recenſet ſubinde filios Clotharij eius filij, ac inter illos filias duas, Clotildem & Blitildem, eſt autem Genealogia illa aliquot erroribus purganda. Primus error, Anafledem Reginam Gothorum matrem fuiſſe Childeberti Regis, & aliorum Clodouei liberorum, cum lippis & tonſoribus ſit notum Clotildem Regis Burgundionum neptem denupſiſſe Clodoueo, eique Childebertum & fratres eius peperiſſe. Secundus error, Thedoricum Clodouei filium, vna & eadem matre cum Childeberto & aliis natum eſſe, qui tamen ex illicito coitu natus eſt. Tertius error, Malabergam Reginā Thoringiorum, Clodouei liberis accenſet, quod neque Gregorius, neque alius quiſquam ſcripſit, & falſum eſt. Addi poſſunt prædictis Scriptoribus recentiores admodum eruditi, & de Gallicana Hiſtoria non vno labore optimè meriti Sammarthani fratres in Hiſtoria Genealogica, & Andræas Duchenius in Serie Genealogica, quam tomo primo Scriptorum coætaneorum præfixit. Denique, Clotharium abſque vlla primi aut ſecundi deſignatione, Blitildis parentem tradunt tres Genealogiæ quas habemus, & Genealogia edita ab Henrico Caniſio, cuius Author anno 867. ſcribebat. Atque hæc ſunt quæ de Blitildis paterno genere Scriptores omnes veteres, quos inuenire potuimus, tradunt, inter quos nec vnus eſt qui alio parente quam Clothario natam Principem regiam, vel leuiter inſinuet, vt poſt hac ea de re non videatur dubitandum. Ex iis porrò

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

(vt iam quæ vera & certa ſunt, à falſis, & incertis ſecernamus, primi hallucinantur & grauiſſimo Metachroniſmo laborant, quod vel vnica ratione certiſſimè demonſtratur. Nam Blitildem Arnulphi ſanctiſſimi Metenſium Præſulis, Auiam fuiſſe extra omnem dubitationem eſt. Ansbertus enim teſtimonio omnium Genealogiarum, veterumque Scriptorum, ac Poëtæ noſtri, genuit ex Blitilde Arnoaldum, patrem Arnulphi. Cùm igitur Arnulphus, regnante Clothario 2. floruerit, fueritque Palatij eius Præfectus, & datus ab illo Inſtitutor Dagoberto filio, quod teſtantur præter geminam Arnulphi vitam, quarũ altera & vetuſtior ab Surio edita eſt in Collectaneis: altera inedita apud nos exſtat, Author vetuſtus Geſtorum domini Dagoberti Regis, capite ſecundo, Hucbaldus Elnonenſis in vita ſanctæ Rictrudis apud Surium tomo tertio, & vt alios plures omittam, Author ineditus Geſtorum Centulenſis Monaſterij libro ſecundo, capite primo his verbis. *Arnoldus genuit Arnulphum primo quidem ſub Clothario Dagoberti patre Palatij Præfectum.* Certiſſimè concluditur grauiſſimo Metachroniſmo laborare eos qui Clothario ſecundo Blitildis natales adſcribunt, quippè qui Auiam aut ætate inferiorem nepote ſuo, aut certè eiuſdem cum eo ætatis faciunt, eoſque natales ad Clotarium primum ſecundi Clotharij auum eſſe referẽdos, quod fecerunt ſcriptores ſecundo loco à nobis recenſiti, ad quos proinde qui poſtremò loco laudati ſunt reduci debent: ſatius enim eſt exiſtimare illos de Clothario

Digitized by Google

primo loquutos,& cùm ſecundis recta ſenſiſſe quàm cum primis grauiſſimè eſſe hallucinatos.

VII *Et regale Duces paulatim nomen adornant.* Summates illos viros, à quibus ſecundæ ſtirpis Reges orti ſunt, non immeritò Poëta Duces appellat: vetuſti enim ſcriptores eo illos nomine donaſſe inueniuntur. Theganus Chorepiſcopus Treuirenſis, in Geſtis Ludouici Pij capite primo, Arnulphum, Anſgiſum, Pipinum, Carolum Duces appellat, Author Incertus fragmenti Hiſtorici à Dagoberto primo, vſque ad Pipinum Regem ad annum 646. *Arnulphus cùm eſſet in iuuentute Dux, genuit Angiſum Ducem, Angiſus de Begga vxore, genuit Pipinum Ducem, Pipinus genuit Carolum Seniorem & Ducem.* Monachus Engoliſmenſis in vita Magni Caroli, Pipinum, Anſegiſeli filium, appellat Ducem Francorum, vt & Carolum Martellum eius filium. Author Geſtorum Centulenſium libro 2. cap. 1. Pipinum & Martellum appellat Seniores & Duces. Deniq; Authori Seriei Genealogicæ, quam Ducheſnius tomo 1. edidit, Carolus Martellus vocatur Dux, ac præterea Pipinus eius filius antequam Rex factus eſſet. Atque hæc de nomine Ducis, de quo videri poteſt Antonius Dadinus Alteſſerra, vir admodum eruditus lib. 1. de Ducibus & Comitibus Prouincialibus. Verſu 48.

At enim occaſione huius nomnis, haud abs re fuerit obſeruare, præter illud nomen, fuiſſe & alia quibus Magni Principes inſigniti ſunt, eorumque dignitas expreſſa. Dicti enim ſunt Maiores

Digitized by Google

domus. Vetuſtus Author libelli de Maioribus domus Regiæ, cuius editionē debemus Petro Pithæo, & Andreæ Duchenio. *Fuerunt autem Maiores Domus, ex quibus generatio Regalis proceſſit, primò quidem Ansbertus Senator, &c.* Vbi vides ab Anſberto omnes eo donari nomine, quo Carolus Martellus, eiuſque filius Pipinus ſubinde Rex, donantur in Annalibus auctioribus, ille ad annum 741. hic ad annum 742. & Caroli Martelli pater Pipinus apud Erchambertum in Breuiario Regum & Maiorum domus, cuius fragmentum Duchenius tomo primo edidit, & tam pater quàm filius, in fragmento Hiſtorico Incerti Authoris, quod ſupra non ſemel laudauimus. Dicti etiam Præfecti Palatij. In Geſtis Centulenſibus mss. libro ſecundo cap. primo, *Arnoldus genuit Arnulphum, primo quidem ſub Clothario Dagoberti patre, Palatij Præfectum*: & paulò poſt, *Anſegiſus poſt patrem Maior & Præfectus.* Eghinardus in vita Caroli Magni, poſtquam dixit opes & potentiam Regum ſolita teneri penes Præfectos Palatij, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat, quibus verbis ſublimiſſimæ dignitatis Authoritas egregiè exprimitur, ſubdit Pipinum, qui poſteà regnauit eo officio, veluti hæreditario iure functum, Carolumque eius patrem, eundem Magiſtratum à patre ſibi dimiſſum egregiè adminiſtraſſe. Dicti quoque Principes, & Francorum Principes, ita Arnulphus apud Poëtam Saxonicum libro quinto Annalium, de Geſtis Magni Caroli, ita Pipinus

Digitized by Google

nus in libro Miraculorum ſancti Auſtregiſili, Bituricenſium Epiſcopi; ita Carolus Martellus in vita ſancti Eucherij, Aurelianenſium Præſulis. Dicti prætereà Comites Palatini, in Genealogia ſancti Arnulphi, edita à Duchenio tomo ſecundo Scriptorum, & quam mss. vidimus in Bibliotheca Thuana. Denique quod haud dubiè miraberis lector dicti quandoque inueniuntur Reges, tres enim eo nomine donatos deprehendimus. Alter eſt Anſegiſus Arnulphi filius in inſtrumento Donationis Pipini Heriſtalli & Plectrudis eius coniugis, quo Nugaretum villam, Eccleſiæ ſancti Arnulphi donant, & quod Martinus Meuriſſius, Madaurenſis Epiſcopus, & Metenſis Suffraganeus, edidit in Hiſtoria Pontificum Metenſium, libro ſecundo in Arnulpho. *Ego Pipinus, Anchiſi Regis filius.* Alter eſt Carolus Martellus, tum in Genealogia B. Arnulphi, quam Duchenius edidit tomo ſecundo, pagina 642. vbi de Pipino Heriſtallo hæc habentur. *Hic genuit Grimoaldum, Drogonem Duces, & Carolum Regem, Martellum dictum ex Alpade.* Tum apud Anaſtaſium Bibliothecarium primò quidem in vita Zachariæ Papæ, vbi Carlomannus dicitur *filius Caroli, Francorum Regis*, & deinde in vita Stephani tertij, vbi idem Carolus, *excellentiſſimæ memoriæ Francorum Rex* appellatur, tum denique in Epitaphio Tumulo illius inſcripto, quod iſtiuſmodi eſt: *Carolus Martellus Rex.* Tertius eſt Pipinus Martelli filius, cuius vetuſta imago in Eccleſia Monaſterij Muſiacenſis propè Ricomagum viſitur ad

Digitized by Google

læuam maioris Altaris, cum hac Epigraphe. *Pipinus Magni Caroli genitor, Rex huius nominis tertius, Moſiaci reſtaurator*, quæ ſupponit duos alios Pipinos, Reges dictos. Neque omittendum ſingulare nomen Carolo Martello datum apud Iſidorum, Pacenſem Epiſcopum, in Chronico ad annum 769. nempè Conſulis Franciæ interioris Auſtriæ, id eſt Comitis; nam Comites dictos olim Conſules, & Vicecomites Proconſules, ſexcentis exemplis poſſet demonſtrari; ſuffecerit in re ſatis nota obſeruaſſe in vita nondum edita Simonis Monachi, ex Comite Criſpeienſi, memorari Hildebertum regionis Aruernicæ Conſulem, & inter mss. Codices Bibliothecæ Thuanæ extare Geſta Andegauorum Conſulum num. 498. Cæterum, vt poſt digreſſiunculam, quam haud futuram Lectoribus ingratam ſperamus, ad Poëtam noſtrum reuertamur, rectiſſimè ab eo ſcriptum eſt, Duces illos de quibus eſt acturus, regale nomen paulatim adornaſſe; Reuera enim in tantam excreuere illi ſenſim potentiam, maximeque ille qui, vt eſt in Annalibus Fuldenſibus ad annum 718. *Regem ſibi conſtituit Hlôtharium nomine, non poteſtate*, & qui, vt alius ſcripſit, *maluit Regibus imperare, quam Rex eſſe*, vt Pipino eius filio, haud fuerit difficile, quod ſolum deerat Regium nomen conſequi.

VIII. *Suſcipit Ansbertus clara de Coniuge &c.* Ansberti Verſu 49. liberos ex Blitilde ſuſceptos, recenſent plerique vetuſti Scriptores, quos hic plena manu exhiberi, haud abs re fuerit. Author Genealogiæ inedi-

tæ ſancti Arnulphi, quæ extat in Codice mss. Bibliothecæ noſtræ Claromontauæ, *habuit ex ea filios tres, & vnam filiam, primogenitus ipſius Arnoaldus, ſecundus Ferreolus, tertius Mondericus, & filia ipſius Tarſicia*; quæ repetuntur iiſdem penè verbis in gemina Genealogia, altera inedita, quam habemus ex mss. Codice Eſpinallij, altera edita ab Henrico Caniſio tomo 5. Genealogia dictata à Carolo Caluo, iam antea citata. *Ansbertus nobiliſſimus genuit Arnoldum ex* Blitilde, *filia Clotarij Regis Francorum, & Ferreolum, & Modericum, & Tarſiciam*, Monachus ſancti Arnulphi lib. 2. eius vitæ cap. 37. *Ansbertus ex prædicta Blitilde, filia Clotharij Regis, trium ſuſcepit filiorum decorem, Ferreolum, Modericum, Burgiſum, is eſt* Arnoaldus, vt ſubinde docebimus, *ac vnius filiæ Florem Tarſiciam nomine.* Author Geſtorum Centulienſium mss. libro ſecundo, capite primo, *Ex qua* (Blitilde) *genuit Ansbertus, Arnoldum, Ferriolum, ac Modericum fratres.* Monachus Afflighemenſis non ſemel laudatus in Genealogia Illuſtriſſimorum Ducum Lotharingiæ, &c *Blitildem duxit Ansbertus, Princeps illuſtris, qui genuit ex ea Arnoldum Principem, & ſanctum Ferreolum, & ſanctum Mundericum, & ſanctam Tarſiciam,* Hactenus illi.

IX. *E quibus Arnoldum primogenitum vocitauit, &c.* Verſu 52.
Conſentiunt Authori noſtro Scriptores omnes, paulò ante citati, in recenſendis Ansberti liberis, eodem enim ordine recenſent, iiſdemque nominibus inſigniunt illos, vno excepto Monacho ſan-

ꝺi Arnulphi, qui tertio loco conſtituit; quem noſter, ac cæteri primo, eumque Burtgiſum, ſiue (vt ego legendum exiſtimo) Buggiſum appellat, obſeruans paulò poſt eundem à pluribus cognominari Arnoaldum, & Bodegiſilium quoque ad placitum nominari: is porrò ſiue Arnoldus, ſiue Arnualdus, ſiue Arnoaldus: variant enim in expreſſione eius nominis Scriptores, alius eſt ab illo Arnoaldo, qui (vt teſtatur Paulus Vuarnefridus in libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ) ſucceſſit Aygulpho, eius Eccleſiæ Epiſcopo, fuitque illius nepos, ac proinde Ansberti quoque fratris Aygulphi nepos, & Arnoaldi, de quo hîc ſermo eſt, & à quo illum diſtinguimus fratruelis; verùm quæ ſunt inter vtrumque diſcrimina in Monarchia Francorum ſancta latè proſequimur., vterque enim regio ſanguine cretus, nobiliſſimam originem ſanctitatis radiis illuſtrauit, ac in Eccleſia Gallicana venerationem promeruit, è quibus cum Andræas Sauſſaius Martyrolographus Gallicanus: alterum Tabulis Gallicanæ Eccleſiæ adſcripſerit, alterum certè ignorauit.

x. *Ferreolum ſic deinde, &c.* Quem hic Ferreolum, Verſu 53. paulò poſt Feriolum, metri (vt opinor) gratia nominat, neque deſunt, qui extra carmen Feriolum quoque appellent, vt vetuſtus Author Genealogiæ ab Caniſio editæ, & Author Geſtorum Centulenſium loco ſæpè citato. Communior tamen eſt Ferreoli nomenclatura: ſic enim non ſolùm in citatis nõ ſemel Genealogiis, ſed & in

Digitized by Google

vita beati Firmini, & gemina vita ipſius Ferreoli, atque apud Gregorium Turonenſem, in Hiſtoria locò inferius citando dictus inuenitur, quemadmodum & tertio loco recenſitus Ansberti filius, qui Poëtæ noſtro, ac præterea Authori Genealogiæ, quam Caniſius edidit, & Monacho ſancti Arnulphi libro ſecundo ſæpè citato, & Authori Geſtorum Centulenſium, atque in triplici quoque Genealogia Modericus appellatur, apud Gregorium Turonenſem libro quinto Hiſtoriæ, & Monachum Afflighemenſem in citata ſæpiuſcule Genealogia Mundericus, ſiue Mondericus dicitur.

11. *Quis honor iiſque decus*, *&c.* In mss. Codice Verſu
notæ optimæ, ex quo carmen iſtud exſcripſimus, 55.
ita legebatur indiſtinctè, *Quis honoriſque decus*, non ſolùm contra metri leges, ſed & nullo ſenſu, nobis ita diſpungere viſum abſque vlla fermè immutatione: *Quis honor, iiſque decus.* Significat itaque Poëta ſe poſt recenſitos ordine Ansberti liberos, eorum honores, & gloriam velle exequi, quod & præſtat luculentè. Cæterùm, haud pigebit obſeruare, quamquam Grammaticum ſit, Poëtam non infrequenter aſpirationem h, pro conſonante habere, vt hic, *Quis honor*, & ferè ſub finem. *Geſtaque*, *vel hominis*, & clariſſimè in iis duobus verſibus.

Tu Benedicte dabis ſobolem Harnolde beatam.
Quæ iuuenem noſtrum hunc vſque ad Sydera tollat.

Neque verò ille ſolus id vſurpat, nam eodem vſu

Digitized by Google

Author vetuſtus inſcriptionis de Carolo Caluo, quam ex veteri Codice Euangeliorum Monaſterij ſancti Dionyſij refert Ioannes Auentinus libro 4. Annalium Boiorum, ita de Ludouico Pio Caroli Calui Patre.

Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.

Poſſetque pluribus aliis exemplis demonſtrari ſi id tanti eſſet; occurrunt enim non pauca apud Sydonium egregium Poëtam, & ſæpiſſimè apud Venantium Fortunatum, cuius vel vnicum libri 1. Carmen vndecimum tria ſubminiſtrat, atq; etiam apud Flodoardum in opere nondum edito, cui titulus eſt, Metrica Triumphorum Chriſti Opuſcula. Verſu

XII. *Præſul eras, &c.* Ferreolum Epiſcopum fuiſſe Vcetiæ, quæ Ciuitas eſt in Narbonenſi prima, vnanimis eſt veterum Scriptorum conſenſio. Author Genealogiæ ineditæ, cuius hic titulus eſt, *Commemoratio de Genealogia Domini Arnulphi, Ferreolus quidem Epiſcopus effectus eſt in Vcetia Ciuitate, Martyrio coronatus, ibique requieſcit in pace.* Author alterius Genealogiæ beati Arnulphi quam ex Codice mss. Eſpinallij habemus nondum editam. *E quibus* (Ansberti liberis) *Ferreolus Epiſcopus in Vcetia Ciuitate ordinatus eſt, ibique Martyrio coronatus quieſcit in pace, vbi multa miracula per eum fiunt.* Author alterius Genealogiæ, quam Henricus Caniſius tomo quinto Publici Iuris fecit, hoc titulo. *Commemoratio Genealogiæ Caroli Imperatoris, Feriolus quidem Epiſcopus effectus eſt; in Vcetia Ciuitate Martyrio coronatus eſt, ibique quieſcit in pace.* 56.

Digitized by Google

Monachus ſancti Arnulphi lib. 2. eius vitæ. *Prædictorum trium filiorum duo Pontifices fuerunt, Ferreolus ſcilicet, ac Modericus, Ferreolus Vcetiæ, id eſt, Aſtimacenſi præfuit vrbi, vbi & Martyrio coronatus eſt, à Guaſconibus. &c.* Monachus Afflighemenſis in Indice nondum edito, quorundam Sanctorum, & Sanctarum &c. *Sanctus Ferreolus Epiſcopus, & Martyr in Vcetia.* His addi debent Authores vtriuſque vitæ ſancti Ferreoli, quorum alter vetuſtior incertus eſt alter eſt Bernardus Guidonis Epiſcopus Luteuenſis, ex cuius ſanctorali mss. quod in variis Bibliothecis Toloſæ præſertim adſeruatur, exſcriptam vitam habemus. Author quoque vitæ ſancti Firmini, qui Ferreolum Firmino Patruo decedenti, ex deſignatione Angelica tradit in Sede Vceticenſi ſuffectum fuiſſe, ac denique, qui cæteris omnibus vetuſtate, & authoritate præſtat Gregorius Turonenſis: neque enim Ferreolus ille, *Epiſcopus Vceticenſis, magnæ vir ſanctitatis, plenus ſapientia, & intellectu*, cuius obitum recenſet in Hiſtoria libro ſexto, capite ſeptimo, alius eſt ab hoc noſtro Ferreolo, vt ætas, & dignitas ſatis demonſtrant. Cæterùm, occaſione Ferreoli Epiſcopi Vceticenſis, lubet in gratiam ſtudioſorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ exhibere hic aliquot Præſules eiuſdem Sedis, varia lectione collectos, quibus ſeries Vceticenſium Epiſcoporum à Claudio Roberto, viro pereruditо pertexta augeri, & illuſtrari poteſt. Primus eſt Roricius, ſiue Ruricius, quem non dubito fuiſſe è nobiliſſima Ruriciorum familia, è qua eo-

Digitized by Google

dem fermè tempore Ruricius Lemouicenſium Epiſcopus fuit, qui Roricius dictus eſt in ſubſcriptionibus Concilij Aruernenſis anno 535. apud Binium, & Ruricius in iiſdem ſubſcriptionibus apud Sirmundum tomo 1. Concil. Galliæ; huius porrò Vceticenſis Epiſcopi Roricij notitiam debemus, tum vitæ inditæ ſancti Firmini, tum vitæ inditæ Ferrioli, ex quibus docemur Firminum, atque Ferreolum ad Roricium acceſſiſſe, & ſub eius cura fuiſſe educatos, ac Firminum ab eo Presbyterum ordinatum, ei tandem decedenti ſucceſſiſſe. Itaque Epiſcopus Roricius poſt Probatium ſeriei Vceticenſium inſcribendus eſt, illique ſubiiciendus Firminus, quem Claudius Robertus non rectè Frontinum appellat: nam ſiue in rebus geſtis Firmini, ac Ferreoli, ſiue in aliquot Genealogiis beati Arnulphi antea citatis, ſiue in ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis quinti apud Sirmundum Firminus conſtanter appellatur, apud Binium verò Firmius, qui Firminum reponendum rectè cenſet, ſed Vceticenſem Epiſcopum pro Ventienſi dictum eſſe non rectè diuinat. Cum eidem Concilio Deuterius Eccleſiæ Vincienſis Epiſcopus ſubſcribat apud Sirmundum. Neque vero Aurelianenſi Concilio quinto, duntaxat Firminus interfuit, & ſubſcripſit, ſed & (quod Robertus ignorauit) Aurelianenſi 4. anno 541. celebrato, & Pariſienſi 2. anno 555. vt docent nos ſubſcriptiones eorum Conciliorum apud Sirmundum tomo 1. in quibus Firminus conſtanter ſcribitur, vt iam de eius nomine dubitare non liceat.

ceat. Tertius eſt Sigipertus, quem anno 793. ordinauit Epiſcopum Vceticenſem, Nimbriſius Narbonenſis Præſul, quo etiam augeri debet ſeries Præſulum Narbonenſium, quippè longè alius eſt à Nibridio in illa recenſito: nam Nibridius ſucceſſit Danieli, qui anno 788. ſedebat, vt conſtat ex Synodo Narbonenſi, celebrata anno illó 788. ſub Daniele, cuius acta Catellus edidit in Hiſtoria Occitana; Nimbriſius verò Narbonenſem Cathedram inſidebat annó 773. quo Sigipertum, vt diximus, ordinauit, vt didicimus in breui Chronico ſancti Theodorici Vceticenſis, quod ex Bibliotheca lectiſſima illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toloſani Caroli de Monchal, Petrus Caſánoüa vulgauit in Inſtructionibus de Franco Allodio, cuius etiam Chronici teſtimonio conſtat Sigipertum Epiſcopum, de Geſtis Regum Francorum tractatum edidiſſe, qui vtinam exſtaret. Quartus denique eſt Vualefridus, de quo præter nomen vix aliquid habet Robertus, cùm tamen adfuerit, ſubſcripſeritque Conuentui Mantalenſi, anno 879. celebrato, cuius acta Iacobus Sirmundus tomo ſecundo Conciliorum, & Duchenius tomo quarto ſcriptorum ediderunt.

XIII. *Sed Martyr ades Feriole perempte.* Cùm Turonenſis Ferreoli mortem recenſeat, nulla vel leui Martyrij facta mentione, nullumque ſit in vita Ferreoli à Bernardo ſcripta Martyrij veſtigium, in qua naturali morte obiiſſe traditur. Miramur vnde Poëta noſter, cæterique paulò ante laudati Genealogiarum Au- Verſû 56.

thores, quorum aliqui ante 800. annós ſcripſerunt, illud Ferreoli Martyrium hauſerint, quod tanta ſcribunt conſenſióne: verùm de illo commodior erit differendi locus in rebus geſtis Ferreoli, quas ex vtraque illius vita, & monumentis veteribus pertexuimus, Monarchiæ Francorum ſanctæ inſcribendas. Neque tamen diſſimulamus adeò conteſtatam Ferreoli ſanctitatem Andreæ Sauſſaio Martyrologij Gallicani Concinnatori ignoratam fuiſſe, quamquam enim ad diem 11. Octobris in Firmino Ferreoli ſtrictim meminerit, nullum tamen illi deinceps locum fecit, ſiue in Martyrologio, ſiue in Supplemento, ſiue in Corollario, ſiue in Appendice, ſiue in Catalogo, tot enim Opuſculis opus illud compegit, vt neque Munderico Ferreoli fratri, de quo mox.

XIV. *Tu quoque fraternos Moderice imitaris honores.* Modericus, ſiue (vt aliis placet) Mundericus Ferreoli fratris honores imitatus non immeritò dicitur, non ſolùm quòd quemadmódum Ferreolus Epiſcopus fuit Vceticenſis, ita Mundericus Epiſcopus fuit Ariſidienſis, ſiue Ariſitenſis, in qua dignitate illi adſerenda conſentiunt Poëtæ noſtro vetuſti omnes Genealogiarum Scriptores, pro Ferreoli Epiſcopatu citati, quorum teſtimoniis referendis ſuperſedemus: ac præterea Gregorius Turonenſis libro quinto Hiſtoriæ, capite quinto, à quo docemur primùm quidem poſtulantibus Lingonenſis Eccleſiæ Clericis, & Guntramno Rege annuente Mondericum tonſoratum, & ordinatum fuiſſe Epiſ- Verſu 59.

Digitized by Google

copum, vt Tetrico ægrotanti ſuccenturiaretur, ac deinde decedenti ſuccederet, ſubindeque quod Guntramnum ſubinſenſum pateretur, ad Sigeberti regnum in Aquitaniam tranſiiſſe, & Ariſitenſis vici conſtitutum fuiſſe Epiſcopum. Verùm etiam quoniam quemadmodum Ferreolus in patrui demortui, Firmini nempè, locum ſubſtitutus eſt. Ita & Mundericus patruo Deothario Ariſitenſi Epiſcopo ſucceſſit, qua de re, vt & de Ariſitenſi vico, quem Hariſidum Poëta vocat, ibique inſtituto Epiſcopatu Diſſertationem ex profeſſo inſtituimus, quæ his Notis ſubiicietur. Cæterùm, Munderici ſanctitatem miraculis à Deo illuſtratam tradit Poëta noſter, eaque miracula fuiſſe conſcripta, atque ætate ſua extitiſſe, haud obſcurè inſinuat hoc gemino verſu.

Multaque pro meritis Chriſti miracula virtus
Eſt operata tuis, ſeruantur & hactenus iſta.

Verùm de Munderici ſanctitate, qua Tabulæ Eccleſiæ Gallicanæ illuſtrari debuerant in Monarchia Francorum ſancta erit agendum.

XV. *Tarſicia.* Fuit hæc vnica Ansberti, & Blitildis filia, vt præter Poëtam noſtrum, Authores Genealogici ſuperiùs ad illa verba, *Suſcipit Ansbertus*, &c. citati tradunt, quos hîc repetere eſſet otioſum. Corrigendus itaque Andræas Sauſſaius, qui in ſupplemento ad 18. Kal. Februarij, vbi Tarſiciæ Regiæ virginis meminit, eam regio Pipini ſanguine natam ſcribit, cùm tamen Tarſicia non ſolùm Pipinum Regem Magni Caroli patrem, ſed Pipinos omnes etiam Verſu 65.

Digitized by Google

Landenſem, qui omnium eius nominis Principum primus eſt, ac ſecundi Pipini, qui Heriſtallus, & Craſſus dictus eſt, maternus auus ætate præceſſerit, quem Sauſſaij errorem, cum tot aliis eius erroribus Bolandus eruditiſſimus, haud dubiè purgaſſet, ſi peruidiſſet, neque eum in primum ingentis operis ſui tomum intuliſſet.

XVI. *Tenet memorabile nomen Rodinis.* Genealogia Codicis mss. Claromontanæ Bibliothecæ, Carmelitarum Diſcalceatorum, *Tarſicia virgo Chriſti, in virginitate ſua perſeuerans, in Rodanis ciuitate requieſcit.* Genealogia Caroli Magni, ab Henrico Caniſio edita. *Tarſicia virgo Chriſti, in virginitate ſua perſeuerans, in Rodinis ciuitate requieſcit.* Monachus Afflighemenſis, in Indice inedito, non ſemel citato. *Sancta Tarſicia virgo Rodanis quieſcit.* Significant ij omnes Scriptores ea voce Rodinis, aut (vt legendum fortè eſt) Rodenis, & Rodanis Rutenam ciuitatem, in prima Aquitania, vulgò Rodez, iuxta quam vrbem Cœnobium eſt Monialium ſancti Benedicti, dictum Monaſterium, in quo eſt ſepulchrum Tarſiciæ in altaris formam, vbi & nos ante annos aliquot, ſacrum fecimus, & virgineum caput argentea Theca incluſum, ac ſacra Lypſana ſumus venerati. Neque verò apud eos ſolos Scriptores, ea vox Rodenis, pro ciuitate Ruthena vſurpata inuenitur. Nam in notitia, quam ex Codice Philiberti Duſaut, Senatoris Burdegalenſis, eruditiſſimus Ducheſnius tomo primo ſcriptorum coætaneorum, publici iuris fecit, Verſu 66.

Digitized by Google

in prouincia prima Aquitanica recenſita inuenitur *Ciuitas Rodenorum*, atque in vetuſto Martyrologio ſancti Sabini de Leuitania, quod Andræas Sauſſaius primus edidit, ſub finem tomi ſecundi Martyrologij Gallicani iſta leguntur, menſe Nouembri. *Die 13. ciuitate Rodenis ſancti Amandi Epiſcopi, & Confeſſoris.* Quod non aduertens Monachus ſancti Arnulphi, & vocum ſimilitudine deceptus, Rutenos, qui ſunt in prima Aquitanica, in Redones, qui ſunt in tertia Lugdunenſi commutauit. Nam lib. 2. vitæ ſancti Arnulphi de Tarſicia ſic ſcribit. *Tarſicia virgo permanens, in tertia Lugdunenſium prouincia, celebratur in territorio Redonis*, qua eadē vocū affinitate deceptus Galeſinius, Amātiū Rutenenſi Cathedræ ereptum, Redonenſem Epiſcopum perperam fecit. Sed de hoc, vt de aliis, quæ hîc à Poëta ſummatim attinguntur, maximeque de inſigni illo miraculo, quod commemorat, vberiùs dicendum erit in rebus geſtis Tarſiciæ, quas tum ex illius vita inedita, tum ex aliis monumentis mss. à prædicto Monaſterio ſuppeditatis perſcripſimus, operi regio, de quo ſæpè ſuprà, inſerendas.

XVII. *Tu Benedicte dabis ſobolem &c.* Poſtquam Poëta recenſuit tres Anſberti liberos, qui cælibem vitam elegerunt, & merita illorum ſummatim eſt exequutus, tranſit ad primogenitum eiuſdem Principis Arnoldum, qui familiam nobiliſſimam, Deo nuptias eius benedictione ſua fœcundante, propagauit, genito Arnulpho, qui poſt Palatij præfecturam, Ec- Verſu 75.

cleſiam Metenſem ſanctiſſimus Pontifex rexit. Genealogia Bibliothecæ Claromontanæ. *Arnoaldus primogenitus ipſius genuit dominum Arnulphum Epiſcopum.* Genealogia edita à Caniſio. *Arnoldus primogenitus ipſius genuit dominum Arnulphum.* Monachus ſancti Arnulphi, libro ſecundo vitæ illius ineditæ. *Arnoaldus primogenitus ipſius, genuit dominum Arnulphum.* Author Geſtorum Centulenſium mss. lib. 2. cap. 1. *Arnoldus genuit Arnulphum, primo quidem ſub Clothario Dagoberti patre, Palatij Præfectum, poſteà autem Metenſis vrbis Epiſcopum.* Genealogia edita à Duchenio tomo ſecundo. *Arnualdus Comes, genuit beatum Arnulphum, Comitem Palatinum, qui poſteà fuit Epiſcopus Metenſis.* Monachus Afflighemenſis in Genealogia inedita, ſæpè citata. *Arnulphus genuit ex ſancta Oda, ſanctum Arnulphum, Principem, tandem Epiſcopum.* Omitto cæteros minus ignotos; neque aliquid ſpecialius, ſiue de Arnulpho, ſiue de illius coniuge, quam poſtremò loco citatus Scriptor ex nomine ſolo deſignauit, ſiue de vtriuſque meritis, ac ſanctitate hîc ſcribere animus eſt, quod quæ dicenda eſſent ad Monarchiam Francorum ſanctam propriè pertineant; id tamen vnum haud prætereundum eſt, quippè Genealogiæ, quæ ſubinde proponitur à Poëta illuſtrandæ accommodum, Paulo Vuarnefrido in libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, Carolum Magnum Arnulphi, quo de agimus, trinepotem rectiſſimè appellari. Nam cùm magni Principis Pipinus Rex Pater, Carolus Martellus

Auus, Pipinus Heriſtallus Abauus, Anſegiſus Atauus fuerint, reſtat vt Arnulphum Tritauum habuerit.

Cæterùm, fruſtrà fortaſſis fuerit obſeruare, hoc in metro in quo Poëta Harnoldum vocat Benedictum, τὸ Benedictus non eſſe Harnoldi cognomen, ſed Epithetum, quo viros Chriſtianos plerique ornabant, quod eruditiſſimus Sirmundus in Notis Sidonianis ad Epiſtolam nonam libri ſeptimi obſeruauit, & multis allatis exemplis demonſtrauit, quibus addi poteſt Authorem vitæ ſancti Martini Paulinum eo Epitheto ſanctum Antiſtitem paſſim exornare; vnde factum vt Ioannes Sauaro vir clariſſimus, eam vitam non Paulino Nolano Præſuli, ſed Benedicto Paulino tribuendam coniecerit in Notis ad Epiſtolam 12. libri octaui Sidonij.

xviii. *Hoc patre, &c.* Arnulpho nonniſi duos filios Versu 80.
Poëta tribuit, qua in re conſentiunt illi nonnulli Scriptores Genealogici: Ille nempè, cui debemus Genealogiam, quæ eſt in Codice mss. Bibliothecæ noſtræ Claromontanæ, & alter, cuius eſt Genealogia quam edidit Henricus Caniſius. Sunt tamen plures qui duobus illis Arnulphi filiis, tertium adiiciunt, Vualchiſum nomine, Genealogia dictata à Carolo Caluo. *Arnulphus genuit Flodulphum, Vualchiſum, & Anchiſum. Vualchiſus genuit Vuandregiſilum Confeſſorem Domini.* Vetuſtiſſima Genealogia inedita. *Arnulphus genuit Flodulphum, Vualchiſum, & Anchiſum fratres eius:* Genealo-

gia edita tomo ſecundo Duchenij. *Hic Arnulphus genuit Anchiſum Ducem, & Comitem Palatinum: & Clodulphum Epiſcopum, & Vualgiſum.* Author ineditus geſtorum Centulenſium libro ſecundo, capite primo. *Arnulphus genuit Flodulphum, Angeſiſum, & Vualchiſum, beati Guandrigiſili patrem.* Monachus Afflighemenſis in Genealogia inedita, *Sanctus Arnulphus genuit de ſancta Doda, ſanctum Clodulphum, Metenſem Epiſcopum, & Valchiſum patrem ſancti Vandregiſili, & Anſegiſum, &c.* Ex iis quid ſentiendum ſit de vetuſto Authore vitæ ſancti Vandregiſili, apud Surium editæ, adſerente parentem illius Vualchiſum, Pipini excellentiſſimi Francorum Principis fuiſſe conſobrinum in Monarchia Francorum ſancta, ceu loco commodiore, & magis proprio dicetur. Cæterùm, quoniam ad cæteras generationes, quæ ſequuntur, non eſt animus aduocare Scriptores Genealogicos, quos ad præcedentes illuſtrandas aduocauimus, quoniam poſteriores prioribus ſunt longè notiores, & apud vulgatos Authores obuiæ, vnicam Genealogiam nunquam hactenus editam, quæ incipit in Arnulpho, & in Ainricum Roberti Regis filium deſinit, cuius tempore Author illius viuebat, ex Codice mss. vetuſto Bibliothecæ noſtræ Claromontanæ, in gratiam eruditorum hîc exſcribo.

Arnulphus genuit Angeſiſum. Hic relicto honore ſæculari filio ſuo Angeſiſo, Metenſis Pontifex effectus eſt, qui poſteà Eremiticam vitam degens

gens, obiit in pace, cuius Mônaſterium hodieque eſt apud illam vrbem.

Angeſiſus, genuit Pipinum ſeniorem.
Pipinus genuit Carolum primum.
Carolus primus, genuit Pipinum.
Pipinus, genuit Carolum Magnum.
Carolus Magnus, genuit Hludouicum Pium.
Hludouicus, genuit Carolum Caluum.
Carolus Caluus, genuit Hludouicum Nihil fecit.
Hludouicus Nihil fecit, genuit Carolum Stultum.
Carolus Stultus, genuit Hludouicũ Vltra-marinũ.
Ludouicus Vltra-marinus, genuit Lotharium.

Lotharius, genuit Hludouicum, qui adhuc puer, Blanchiam accepit in vxorem, in quo etiam Reges de familia Caroli Magni defecerunt.

Huic quoque ex alia familia ſuceſſit Hugo in Regnum, Hugonis Magni filius, cui ſucceſſit Robertus filius eius in regnum. Huic ſuceſſit filius eius Ainricus, qui modò, Deo protegente, prout poteſt regnum Franciæ gubernat, hactenus Genealogia.

XIX. *Flodulphus.* Communior eſt Clodulphi nomenclatura, quamquam vt à Poëta noſtro, ita & à nonnullis Flodulphi nomen vſurpetur. Extat apud nos gemina vita nondum edita ſanctiſſimi Principis, & Pontificis, cui regia origo ſanctitate illuſtris in Faſtis Regiis locum fecit. Verſu 80.

XX. *Anchiſus.* Mirum quàm ſit diuerſa Principis iſtius nomenclatura. Nam & Anſegiſus, ſiue Anſigiſus, in duabus Genealogiis ineditis, & apud Authorem Verſu 83.

Digitized by Google

geſtorum Centulenſium, Monachum Affligheme n-ſem ſæpe laudatum, Authorem vitæ B. Pipini Ducis, quæ à Duchenio tomo 1. eſt edita, & alios, & Angeſiſus in Genealogia paulò ante edita, & Anſigillus, in Chronica Regum Franciæ breuiter digeſta, quam edidit Duchenius, & Anſigiſelus in vita Caroli Magni à Monacho Engoliſmenſi ſcripta, & Angiſus in fragmento Hiſtorico Incerti Authoris, quod tomo 1. ſcriptorum ab Duchenio editum eſt, & Anſkiſus in Genealogia quam Caniſius edidit, ac denique Anchiſus non ſolùm in Carmine iſto, quod vulgamus, ſed & in Annalibus Fuldenſibus ad annum 714. in Genealogia edita tomo 2. Duchenij, ac denique apud cæteris vetuſtiorem Paulum Vuarnefridum, qui Anchiſi nomen, ſiue, vt ſcribitur, Anſchiſi, ab Anſchiſe patre Æneæ deriuatum cum aliis exiſtimat in libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, tum in Arnulpho, tum in Epitaphio Rothaidis filiæ Pipini Regis, quod iubente Magno Carolo ſcripſit, quodque quia illuſtrandis ijs, quæ de Carolinæ familiæ Maioribus Poëta noſter tradit, opportuniſſimum eſt, hîc repræſentandum exiſtimauimus.

Digitized by Google

EPITHAPHIVM ROTHAIDIS, FILIÆ PIPINI REGIS.

Hic ego quæ iaceo Rothaith nomine dicor,
Quæ genus excelſo nimium de germine duco.
Nam mihi Germanus gentes, qui ſubdidit armis
Auſonias, fretus Carolus virtute Tonantis.
Pipinus pater eſt, Carolo de Principe cretus,
Agarenum ſtrauit magna qui cæde Tyrannum.
Pipinus Proauus quo non audacior vllus,
Aſt Abauus Anſchiſe potens, qui ducit ab illo
Trojano Anchiſa longo poſt tempore nomen.
Hunc genuit pater iſte ſacer, Præſulque beatus
Arnulphus, miris geſtis qui fulget vbique,
Hic me ſpe cuius freti poſuere Parentes.

XXI. *Nomenque inſigniter aptet.* Id optat Poëta, ne Carolus Caluus, quem alloquitur Aui ſui Magni Caroli nomen inaniter portet. Impoſitum enim fuiſſe Caluo Carolo Aui nomen certum eſt. Vetuſtus Author inſcriptionis de Carolo Caluo, quam ex veteri Codice Euangeliorum Monaſterij ſancti Dionyſij retulit Ioannes Auentinus libro quarto Annalium Boiorum. Verſu 90.

Digitized by Google

Hic Nomen Caroli Magni de nomine ſumpſit,
Nomen, & Indicium ſceptra tenens ſua.

XXII. *Eccleſiam Chriſti puro &c.* De Magni Caroli ſtudio in religionem feruentiſſimo, amoreque, & veneratione, quibus Eccleſiam proſequutus eſt, vnde Poëta iure meritò immortale illius Elogium exorditur, videri poſſunt inter multos, Eghinardus in eius vita grauiter ſcripta, & qui Egihnardum verſibus videtur reddidiſſe Poëta Saxonicus libro quinto, necnon Ioannes Summus Pontifex, in ſermone quem habuit in electione Caroli Calui in Imperatorem. Verſu 90.

XXIII. *Finibus à longis Sophia, &c.* Si vera ſunt quæ à Monacho Sangallenſi narrantur in geſtis Caroli Magni, ad Carolum Craſſum ſcriptis libro primo, capite primo, ex iis poſſunt illuſtrari, quæ vno verſu à Poëta noſtro dicta ſunt. Verſu 91.

XXIV. *Belliger indomitus deuincens vndique gentes, Tranſtulit, &c.* Concinit iis, quæ hîc de Carolo Magno ſubdente Chriſti imperio populos, quos armis ſuo ſubiiciebat, dicuntur: vetuſtus Author libelli de Conſtructione nouæ Corbeïæ in Saxonia. *Hunc* (Carolum Magnum) *ideo præ omnibus Chriſtianis Regibus potentiſſimum in Bellis fuiſſe credimus, quia quos ſuo dominio ſubiugabat, Chriſti nomini dedicabat.* Verſu 94.

XXV. *Saxo dira fremens.* Ex variis populis, quos Magnus Carolus bellis fregit, & perdomuit, duos duntaxat Poëta commemorat, Saxones, & Hunnos, quod nempè bella aduerſus eos populos ſu- Verſu 100.

ſcepta cæterorum omnium fuerint difficillima: Nam quod attinet ad Saxonicum bellum, teſtis eſt Eghinardus in vita Caroli Magni. Illo neque prolixiùs, neque atrociùs, Francorumque populis laborioſiùs ſuſceptum fuiſſe. Idemque Hiſtoricus maximum omnium, quæ à magno Principe geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, Hunnicum expreſsè tradit in eadem magni Principis vita.

XXVI. *Vidit & extimuit, &c.* Non ſolùm regnante Magno Carolo, ſed & dum vixit, & regnauit Ludouicus Pius eius filius, Normanni à vaſtanda Gallia abſtinuere, & qui patrem timuerant, filium quoque venerati ſunt. Monachus Sangallenſis, geſtorum Caroli Magni libro ſecundo, capite vigeſimonono, *vt poſt mortem Bellicoſiſſimi Dauid multo tempore finitimæ gentes manu fortiſſima ſubiugatæ eius imperio, filio Salomoni pacifico tributa dependerunt. Ita propter timorem, & tributa auguſtiſſimo Imperatori Carolo perſoluta, filium eius Ludouicum gens immaniſſima Nordmannorum ſimili veneratione ſolebat honorare.* Hæc ille; quæ tamen nutare oportet, ſi vera ſunt, quæ traduntur in Chronico de geſtis Normannorum in Francia, quod Duchenius tomo ſecundo edidit de irruptionibus Nordmannorum in Flandrenſe littus, in oſtium Sequanæ, & in littus Aquitanicum, regnante Ludouico Pio. Verſu 195.

XXVII. *Pacificus.* Accommodatum Ludouico Pio Epitheton, quem Theodulpus in verſibus, quos edidit Caniſius tomo ſexto *Pacificum.* Benedictus Leuita Verſu 113.

Digitized by Google

Præfatione in libros tres poſteriores Capitulorum Pipini, Caroli Magni, & aliorum, *Pacis amatorem.* Monachus Sangallenſis *quietiſſimum* appellant.

XXVIII *Cultorque Dei.* De ardētiſſimò Ludouici Pij in Religionem ſtudio, præter Authorem coætaneum eius vitæ, & actuum; videndus ſermo Ioannis Apoſtolici in electione Caroli Calui eius filij in Imperatorem. Eo factum eſt, vt religioſiſſimi ſceptris omnibus illuſtrius nomen ſit conſequutus quo donatur à Lupo Abbate Ferrarienſi Epiſtola 71. quæ eſt ad Carolum Caluum, & Epiſt. 81. atque à Monacho Sangallenſi libro 2. de geſtis Magni Caroli cap. 29. Verſu codē.

XVIX. *Digna ferens, indigna ſimul clementior extat.* Haud abſunt prodigio, quæ de piiſſimi, ſanctique Principis Clementia ſcribit Author vitæ eius Incertus, ſed coætaneus in Prologo. *Iam verò virtus ei adeò coaluerat, vt tot, ac tantis pulſatus malis, laceſſitus tam priuatis, quàm externis iniuriis, nullo tamen Deo cuſtode pectus eius inuincibile potuit iniuriarum pondere frangi; vnì tantùm modo ab æmulis adſcribebatur culpæ ſubcubuiſſe, eo quod nimis clemens eſſet.* Hæc ille. Qui cùm in ipſa vita ſcribat eum fuiſſe penè vltra humanum modum natura mitiſſimum, fortitudine magnanimum, pietate cautiſſimum, clementiam illius haud eneruem, & muliebrem fuiſſe, ſed imperatore digniſſimam egregiè demonſtrat. Verſu 114.

XXX. *Hic Decreta Patris Benedicti &c.* Qui id factum ſit paulò ante citatus Author ita denarrat ad annum 817. *conſtituit idem Deo Amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ per omnia,* Verſu 116.

qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes, redeunteſque vniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus fæminis, viuendi ſecundùm Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem : Digniſſima planè Piiſſimo Imperatore ſollicitudo.

XXXI. *Arma tibi Dauid durum conciſcat in hoſtem. At Salomon, &c.* Non vnus, neque primus Poëta noſter Magnum Carolum Dauidi, & Ludouicum Pium, Salomoni comparat. Nam idipſum præſtitit Sangallenſis Monachus lib. 2. cap. 19. cuius verba ſupra dedimus; Theodulphus quoque Aurelianenſis, in verſibus de Ludouico Pio, cum Salomoni comparat. At enim Albino Flacco familiari mum fuiſſe, vt ſcribens ad Carolum Magnum ſiue proſa, ſiue verſu, Caroli nomen omitteret, Dauidemque Regem appellaret, nemo qui Albini opera attigerit ignorat, quo ex parte factum, vt Henricus Caniſius Poëma de Carolo Magno Rege, & Leonis Papæ ad eum aduentu, in quo Carolus Dauid vocatur, Albino tribuendum cenſuerit. Atque eo fortaſſis ſenſu Stephanus Papa Ludouicum Pium excipiens, *Secundum Dauid*, appellauit, vt teſtatur in Ludouici geſtis Teganus cap. 16. Atque hæc in Carmen illud obſeruaſſe ſufficiat. Nunc vero veluti è re nata de Ariſitenſi Epiſcopatu, haud vulgò cognito ſpeciali Diſſertatione, quæ multo ſtudio occurrerunt exhibeamus. Verſu 130.

Digitized by Google

DE EPISCOPATV ARISITENSI DISSERTATIO.

In qua illius nomen, ſitus, inſtitutio, progreſſus, & Præſules veterum monumentorum beneficio illuſtrantur.

QVI de Ariſitenſi, ſiue Ariſidienſi Epiſcopatu, præter Hiſtoriæ Francicæ Patrem Gregorium Turonenſem, è vetuſtis Scriptoribus, qui luce publica donati ſunt, aliquid tradiderit vix quiſquam eſt: Recentiores verò, qui de eadem ſede ſcripſerint pauciſſimi inueniuntur. Nam ſiue apud Ioannem Chenutium, ſiue apud Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana, ſiue apud alios, qui Gallicanos Epiſcopatus recenſuerunt, Epiſcoporumque ſeries texuerunt, eius Epiſcopatus neque vola, neque veſtigium eſt; tres tantum inter ætatis noſtræ ſcriptores hactenus occurrerunt non pænitendæ eruditionis viri, qui de illo Epiſcopatu haud vulgò

Digitized by Google

vulgò cognito nonnihil ſcripſerunt, Iacobus Sirmundus tomo 1. Conciliorum Galliæ in Notis ad Synodum Remenſem, ſub Sonnatio celebratam; Petrus de Marca in Concordia Sacerdotij & Imperij lib. 4. cap. 13. & Antonius Dadinus Alteſſera de Ducibus, & Comitibus Prouincialibus lib. 1. cap. 14 è quibus nullus eſt, qui non exiſtimet Mundericum primum ignotæ illius Cathedræ fuiſſe Epiſcopum, duoque poſteriores Ariſitenſem Epiſcopatum à Rutenenſi Sigeberti Regis eius nominis primi, authoritate auulſum, ſunt arbitrati. Verùm Gregorius Turonenſis, quem vnicum eius adſertionis Authorem laudant, nequaquam illis fauet. Nam neque Mundericum primum vici Ariſitenſis Epiſcopum tradit, quamquam in eo Epiſcopum conſtitutum fuiſſe ſcribat, neque eum Epiſcopatum ab Sigeberto Rege, è Rutenenſi deciſum, & auulſum docet: imo verò, cùm ſcribat quindecim illas Diœceſes, ſiue Parrochias, quibus Ariſitenſis Epiſcopatus abſoluebatur, à Gothis quibuſdam ante Sigeberti tempora fuiſſe occupatas. *Habens* (inquiens de Munderico facto Ariſitenſi Epiſcopo) *ſub ſe quindecim, plus minus Diæceſes, quas Gothi quidam primum tenuerant.* Epiſcopatnm ab alio, quàm à Sigeberto deciſum, & auulſum, non obſcurè meo iudicio inſinuat, qua de re poſtea. Porrò cùm, vt vel ex iis quæ dicta ſunt conſtat, Epiſcopatus illius tam exiguam notitiam etiam eruditi recentiores habuerint, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi quæ de eius Sedis nomine,

Digitized by Google

ſitu, inſtitutione, progreſſu, & Præſulibus è variis monumentis veteribus, quorum nonnulla ſunt inedita, conſequi licuit, Diſſertatione complecterer, & in gratiam Lectoris Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſi vulgarem.

De nomine Epiſcopatus.

Et vt à loci nomine, vnde omnis de rebus Diſputatio ducenda eſt, auſpicemur; qui locus Gregorio Turonenſi Hiſtoriæ Francorum libro quinto capite quinto, vicus Ariſitenſis dicitur, haud dubium quin illius ætate *Ariſitum* diceretur, inde enim deducta *Ariſitenſis* appellatio, qua vſus quoque longè poſt Gregorium inuenitur Flodoardus Presbyter, Hiſtoriæ Remenſis libro ſecundo, capite quinto, dum Emmonem, Ariſitenſem Epiſcopum inter Præſules, qui Synodo Remenſi interfuerunt recenſet: Non deſunt tamen, qui *Ariſium* vocent, vt videre eſt in Genealogia Magni Caroli, ab Henrico Caniſio edita, quæ ante octingentos annos ſcripta eſt; Neque deſunt qui *Ariſidum*, ſiue *Hariſidum* appellent, non ſolùm Author Carminis quod vulgauimus, quod metri cauſa ab eo factum putari poterat, ſed & vetus Genealogia, quæ exſtat in mss. Codice Bibliothecæ noſtræ Claromontanæ, & Monachus Afflighemenſis, qui vixit temporibus ſancti Ludouici, in Indice Sanctorum, & Sanctarum ſtirpis Regiæ, quem (vt in Notis monuimus) habemus ineditum ex Codice mss. Bibliothecæ Corbejenſis. Denique ſunt, quibus idem locus *Ariſidium* dicitur, nempè Authores aliquot Genealogiarum, maximeque ſæpè in

Digitized by Google

hac Diſſertatione laudandus Monachus ſancti Arnulphi in Genealogia, quam pertexuit vitæ eiuſdem Præſulis ſanctiſſimi libro ſecundo. Ex quo poſtremo nomine poterit Hariolus aliquis Ethymologiarum venator coniicere ita dictum locum, de quo agimus, à cæde Arrianorum ibi perpetrata, quod ſonare videtur *Aricidium*, & coniecturam illuſtrare authoritate Turonenſis, qui Gothos, quos conſtat fuiſſe Arrianos, locum illum obnitente Rutenenſi Epiſcopo occupaſſe tradit; ſed hæc merà coniectura eſto, cui otioſum eſſet immorari.

A loci nomine ad ſitum tranſeo, de quo id planè extra controuerſiam arbitror, tractum illum quindecim, plus minus, Parrochias, ſiue (vt Turonenſis loqui amat) Diœceſes complectentem, quibus Ariſitenſis Epiſcopatus definiebatur, intra primæ Aquitaniæ limites conſtitiſſe; Hinc enim factum eſt, vt (quòd teſtatur Gregorius) Rutenenſis Epiſcopus Dalmatius Diœceſes illas vindicaret, quaſi nempè ab Epiſcopatu ſuo auulſas, quem intra Aquitaniam primam conſtitutum eſſe, ac Metropoli Bituricenſi, cuius Epiſcopus Aquitaniæ Primas erat, ſubiacere ex Notitiis Epiſcopatuum notiſſimum eſt. De ſitu.

At enim cùm quemadmodum Prouincia, ita & Epiſcopatus Rutenenſis variis Prouinciis, & Epiſcopatibus ſit conterminus. Nam & Albienſes attingit, & ad Caturcos porrigitur, & Aruernis, atque Vceticenſibus limitaneus eſt; vnde etiam inuenimus apud Gregorium Turonenſem libro Hiſtoriæ 8.

Digitized by Google

cap.18. Aruernam, Rutenam, & Vceticam vrbes vno Ducatu, qui Nicetio Aruerno conceſſus eſt, comprehenſas : propterea inueſtigandum ſupereſt, qua parte Ariſitenſis tractus intra Prouinciam Rutenenſem eſſet conſtitutus; ad quam inueſtigationem facem præfert, & lucem affundit vetuſtus Author vitæ ſancti Arnulphi, quam duobus libris diſtinctam, hactenuſque ineditam habemus: is enim de Firmino viro ſanctiſſimo, Ansberti (vt ſubinde obſeruabimus) fratre, loquens, qui Vceticenſem Cathedram Epiſcopalem inſedit, ciuitatem Vceticenſem ab Ariſidio haud abfuiſſe diſertè tradit; en eius verba, quæ obſeruationis erudito lectori non ingratæ occaſionem nobis præbebunt. *Secundus* (Ansberti frater) *fuit Firminus, qui Epiſcopatum tenuit in Vcetia vrbe, quæ Aſtimacenſis etiam vocatur. Hæc ciuitas eſt ſita in Prouincia Narbonenſi prima. Item prædictæ Ariſidio vicina.* Hæc ille. Qui cùm non ſolùm hîc, ſed etiam paulò inferiùs, Vcetiam vrbem Aſtimacenſem appellet. *Ferreolus* (inquiens) *Vcetiæ, id eſt, Aſtimacenſi præfuit vrbi.* Habes, lector erudite, vnde illuſtres geminam notitiam, quam vir clariſſimus Duchenius tomo I. Scriptorum coætaneorum edidit, alteram ex Codice mss. Bibliothecæ Thuanæ, in qua ſub Narbonenſi prima legitur, *Caſtrum Vceticenſe, id eſt, Aſtituecenſe* : alteram verò immediatè ſequentem, in qua ſub eadem Prouincia legitur, *Caſtrum Vzetenſe, id eſt, Aſtituecenſium*, & vel ex vetuſto Authore, Notitias corrigas, in quibus facilè fuit Aſtimacenſe, in Aſtituacenſe Scriptoris oſcitantia im-

Digitized by Google

mutari; vel ſi mauis, ex Notitiis Authorem: ſed hoc Parregon. An autem tractus illius, cuius ſitum, quantum licuit, demonſtrauimus, ſuperſit aliquod veſtigium, hactenus aſſequi non potui, quamquam non indiligenter dudum inueſtigauerim, vt certè iam deprehendendi ſpes omnis præciſa videretur.

At enim cùm hæc opellula iam edenda eſſet, commodum admonuit me vir eruditus, mihique amicus Marcus Antonius Dominicy, Iuriſconſultus Caturcenſis, intra Rutenam Prouinciam territorium eſſe, quod 6. circiter leucarum ſpatio extenditur inter Milialdum & Vcetiam, cui hodieque nomen eſt *l'Arſac*, quodque proinde *Ariſito* ab Vceticenſi vrbe, non admodum diſſito (vt paulò ante docuimus) & nonniſi quindecim, plus minus Diœceſes, ſiue Parrochias complectenti (vt tradit Turonenſis) & nomine, & ſitu, & ſpatio quoque ita conuenit, vt nihil vlterius inquirendum videatur. Atque hæc de ſitu ſatis.

Iam verò de Inſtitutione Epiſcopatus dicturo mihi, viſum eſt, vt id faciliùs fiat nonnulla obſeruare, quæ veteribus monumentis accepta debeo. Obſeruandum imprimis Anſbertum Principem nobiliſſimum, de cuius poſteris fusè in Notis egimus, quinque fratres habuiſſe: Ita teſtatur Genealogia nondum edita, cuius titulus eſt, Commemoratio de Genealogia domini Arnulphi, vbi hæc leguntur. *Anſbertus, vnde priùs commemorationem fecimus, qui fuit ex genere Senatorum, habuit*

De inſtitutione & progreſſu.

ſratres Deotharium, Firminum, Gamardum, & Ayg-gulphum Epiſcopum, & Ragnifredum, &c. Quibus planè conſentientia ſcribit Monachus ſancti Arnulphi vitæ eius libro ſecundo. Totidem enim fratres, iiſdem nominibus, eodemque ordine recenſitos tribuit Ansberto. Obſeruandum deinde familiam illam nobiliſſimam, non ſolùm in Prouincia Narbonenſi prima, ex qua oriundum in Notis demonſtrauimus, ſed & in Aquitania fuiſſe potentiſſimam; nam (vt omittam Deotharium Anſberti fratrem; de quo mox, & Mundericum eiuſdem Ansberti filium, Ariſidienſem Cathedram, quam in Aquitania prima fuiſſe vidimus, inſediſſe) ſanè Goericus Ansberti nepos, ex Gamardo, Albigenſem Prouinciam adminiſtrauit, Ducatus beneficiarij titulo inſignitus, antequam ad Metenſem Epiſcopatum aſſumeretur, ſuffectus Arnulpho conſanguineo, vt ex eius vita mss. liquet, & nos ex actis eius, quæ faſtis Regiis inſerenda pertexuimus, docebimus, & Ansbertus ipſe non de nihilo Aquitanorum nobiliſſimus dictus eſt, Monacho ſancti Arnulphi, in eius ſancti vita libro ſecundo.

His obſeruatis, ad inſtitutionem Epiſcopatus accingor, & imprimis haud à vero aberraturum exiſtimo, qui adſeruerit tractum illum Ariſidienſem, quindecim Diœceſes complectentem, Gothis, Arrianis annitentibus, à Ruthenenſi Epiſcopatu auulſum, inſtitutumque in eo Epiſcopatum fuiſſe, dum ſumma rerum in ea Prouincia poti-

Digitized by Google

rentur. Fauent enim adſertioni duo nequaquam contemnenda; Primum, quod Gregorius Turonenſis, dum ſcribit Mundericum in vico Ariſidienſi Epiſcopum fuiſſe conſtitutum, & habuiſſe ſub ſe quindecim, plus minus, Diœceſes, tradat continuò Gothos, quos conſtat fuiſſe Arrianos, eaſdem Diœceſes anteà tenuiſſe. Quid enim putamus iis verbis voluiſſe Gregorium innuere? an id ſolùm, nempè quindecim illas Diœceſes, ſiue Parrochias, fuiſſe olim ſub Gothorum ditione? At certum eſt, non ſolùm tractum illum, ſed & totam Ruthenenſem Prouinciam Gothorum imperio ſubiacuiſſe, vt conſtat ex ipſomet Gregorio lib. Hiſt. 2. cap. 36. & 37. Reſtat igitur id eum ſcripſiſſe, vt ſignificaret Gothos quoſdam eaſdem Diœceſes eo modo, & titulo tenuiſſe, quo Mundericus tenebat, nempè titulo Epiſcopatus, quem illæ componebant. Alterum, quoniam (vt breui dicetur) Aygulphus, Metenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimul ac tractus ille Ariſidienſis donatione Dotharij in ius Eccleſiæ, cui præſidebat, tranſiit, Epiſcopalem in eo Sedem inſtituit, quod eum haudquaquam facturum par eſt exiſtimare, niſi præceſſiſſet exemplum illud, ac voluiſſe virum ſanctum Epiſcopatus Hereticis olim addicti fœdam inſtitutiotionem, Catholici Epiſcopatus iuſtitutione legitima purgare. Quicquid porrò ſit ea de adſertione, de qua eruditorum Iudicium non illibenter ſubibimus, certiora longè ſuppetunt de Inſtitutione Catholici Epiſcopatus in vico, & tractu Ariſi-

Digitized by Google

dienſi, quæ ſummatim noſtris verbis placet proponere ſigillatim, deinde è veteribus monumentis, quæ hactenus inedita ſunt firmanda & illuſtranda.

Notiſſimum eſt ex Gregorij Hiſtoria, Clodoueum Regem non minus pietate, quàm fortitudine conſpicuum, Gothos Arrianos Vocladenſi pugna fudiſſe, cæſo manu propria Alarico eorum Rege, & Theodoricum Clodouei filium parentis victoriam proſecutum, eoſdem Gothos Albienſi, Ruthena, Aruerna aliiſque Prouinciis armis fœlicibus eieciſſe, atque iis à Deo conceſſis victoriis peſſimos hæreticos vniuerſa fermè abactos Gallia, eius imperium Francis reliquiſſe; qua de re conſuli poteſt Turonenſis lib. 2. cap. 36. & 37. Poſt id temporis, quamquam quo præcisè tempore mihi non conſtet, tractus Ariſidienſis, de quo hactenus, Deotharij Principis nobiliſſimi Ansberti fratris ditioni ceſſit, an Principis, qui in Auſtraſia regnabat dono, an iure alio incertum, in quo ille vicum Ariſidienſem, haud dubiè bellorum ſorte ſolo æquatum reſtaurauit, cúmque ſubinde generoſus Princeps æterno inſpirante numine ad ſublimioris, & perfectioris vitæ apicem adſpirans, bonorum quæ habebat ampliſſima, Chriſtum heredem inſtituere cogitaret, Ariſidium, id eſt & vicum, quem extruxerat, & quindecim illas Diœceſes, Matrici Metenſium Eccleſiæ Protomartyri Stephano ſacræ donauit, eámque donationem, qui tunc imperabat Auſtraſiis, vt eſt in monumentis veteribus, paulò poſt ci-

tandis,

tandis, Theodebertus Theodorici filius, vt ego legendum cenſeo, Sigebertus Clotharij I. filius, ſacra præceptione confirmauit. Præerat tunc prædictæ Eccleſiæ in regno Auſtraſiano nobiliſſimæ Aigulphus Præſul ſanctiſſimus, Ansberti, & Deotharij frater, qui ſiue quod in eo tractu Epiſcopatus Arrianis aliquandiu ſtetiſſet, vt veriſimile nobis viſum eſt, & ſuperiùs demonſtratum; ſiue alia de cauſa nobis ignorata Epiſcopalem Cathedram Catholico Præſule inſidendam adſentiente ſine dubio Principe inſtituit, ea adiecta conditione in Eccleſiæ ſuæ fauorem, vt ipſe primum in ea Cathedra Epiſcopum inſtitueret, & deinceps nonniſi à Præſulibus Metenſibus decedentibus Epiſcopis Ariſitenſibus, alij in eorum locũ ſufficerentur, & conſecrarentur, quo iure in Deotharium fratrem, qui generoſa omnium abdicatione Chriſti militiæ ſeſe mancipauerat, coniecit oculos, & non carnis, aut ſanguinis ſuaſione, ſed inſpiratione diuini Numinis, primum Ariſitenſem Epiſcopum inſtituit, ordinauit. Functus eſt eo munere Deotharius peregregiè, eamque Cathedram ſua ſanctitate illuſtrauit, atque illi decedenti alij ſubinde ſucceſſerunt, quorum temporibus quoniam Rutenenſes Epiſcopi Dalmatij præceſſoris ſui, vindicias proſequebantur, qui, teſte Gregorio, illas quindecim Diœceſes, quibus abſoluebatur Epiſcopatus Ariſidienſis, ſuo tempore vindicauerat, opus fuit ſacris Regum Chriſtianiſſimorum præceptionibus acquiſitum Metenſi Eccleſiæ in eas Diœceſes ius identidem confirmari: itaque rogatus ab

Arnoaldo Anſberti filio Munderici, fratre Clotarius, cui Theodòrico, & Theodoberto, Childeberti ſecundi filiis fato functis omnis in ſolidum Monarchia ceſſit, dato præceptò ius illud confirmauit, & poſt Clotharium patrem Dagobertus, atque ſubinde Dagoberti filius Sigebertus non abſimilia præcepta, quibus Ariſidium Metenſibus Præſulibus conſeruabatur, conceſſerunt. Hæc ſunt quæ de Ariſidienſis Epiſcòpatus inſtitutione, & progreſſu dicenda habuimus, quæ modò ne quis à nobis conficta arbitretur, veterum monumentorum teſtimoniis ſunt adſtruenda. Monachus ſancti Arnulphi in Genealogia quam pertexuit libro ſecundo vitæ illius nondum editæ, dum recenſet Anſberti quinque fratres, iſta habēt de Deothario. *Primus fratrum Deotharius eſt dictus, qui ſuarum hæredem Chriſtum faciens opum, Ariſidium conſtruxit locum, vbi Pontificali ſublimatus infula pace quieſcit æterna.* Et paulò poſt de Aygulpho 3. Anſberti fratre Metenſique Epiſcopo agens. *Hic Aygulphus* (inquit) *præfatum Ariſidij vicum, beati Prctomartyris Stephani partibus per Theodeberti præceptum Regis mancipauit, fratremque ſuum Deotharium inibi conſtituit Epiſcopum, eo pacto vt deinceps Metenſis Præſul illic Epiſcopos per ſucceſſionem ſtatueret, & conſecraret.* Hæc omnia Monachus Metenſis, Scriptor vetuſtus, qui quæ ſcripſit ex Archiuiis Eccleſiæ Metenſis, potuit deprompſiſſe, quibus palam eſt ea fermè omnia, quæ paulò ante à nobis dicta ſunt, lucem ac robur accipere: habes enim teſtimonio illius Scri-

ptoris, vicum Ariſidienſem ab Deothario extructum, adeoque ad illius iura adtinentem, & in iura Metenſis Eccleſiæ Ariſidium tranſiiſſe; haud dubium quin Deotharij donatione, & confirmatam Regia præceptione donationem piam, & inſtitutum ab Epiſcopo Metenſi Aygulpho eo in loco Epiſcopatum, conditionemque, quam diximus adiectam, ac denique Deotharium ab Aygulpho fratre primum Ariſidienſis Cathedræ Epiſcopum electum, & ordinatum, vitæque ſanctitate æternam pacem conſecutum, iis porrò omnibus conſentientia tradunt duæ veſtutæ Genealogiæ, nondum vulgatæ, atque inſuper alia, quibus cætera à nobis propoſita illuſtrantur. Altera enim quam habemus Claromonti Aruernorum in vetuſtiſſimo Codice mss. ita de Deothario loquitur. *Deotharius conſtruxit vicum Ariſidium, vbi Confeſſor Chriſti effectus requieſcit:* & poſt pauca, *Tempore bonæ memoriæ domini Aygulphi Epiſcopi ſic dominus Theodebertus Rex Francorum, vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus beati Stephani Protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegauit, & dominus Arnoldus nepos ipſius Aygulphi, accepit exinde de ipſo vico confirmationem tempore domini Clotharij, regis Francorum partibus beati Stephani. Similiter dominus* D*agobertus Rex Francorum, & Sigebertus ipſum vicum ad prædictam Eccleſiam beati Stephani per eorum præceptionem confirmarunt. Et dominus Aygulphus prius Germanum ſuum* Deo*tharium Epiſcopum conſtituit in ipſo Ariſidio, & poſt dominum* Deo*tharium nepos ipſius dominus Mundericus eſt ordinatus in ipſo Ariſidio*

Digitized by Google

Epiſcopus per ordinationem, Pontificis Metenſium vrbis. Hactenus Genealogia vetuſtiſſima, quibus eadem omnino habet altera quoque Genealogia, quam habemus, quæ propterea non eſt nobis animus repetere, duo ſcitu neceſſaria obſeruaſſe contentis; primum quidem tum apud Monachum ſancti Arnulphi; tum in citatis Genealogiis loco Theodeberti videri nobis reponendum Sigebertum, illum nempe Clotharij I. filium, cui Auſtraſianum regnum, cum inter Clotharij I. filios Monarchia Francorum diuiſa eſt ſortito obtigit, cuius correctionis rationem in rebus geſtis Aygulphi, quæ in faſtis noſtris regiis comparebunt, ceu loco commodiore ſumus reddituri. Deinde cùm vltra Sigebertum Dagoberti filium non porrigantur, quæ de Ariſidienſi Epiſcopatu apud vetuſtos Authores occurrunt, exiſtimandum eſſe noſtro iudicio Epiſcopis Rutenenſibus vindicias ſuas Dalmatij præceſſoris æmulatione infracto animo proſequentibus, Metenſes Epiſcopos iure illo, de quo egimus, quatuor Regum præceptionibus cōfirmato excidiſſe, & quindecim illas Diœceſes à Sede Rutenēſi deciſas, extincto in illis inſtituto Epiſcopatu ad iura Rutenenſiū Præſulū poſtliminio rediiſſe. Atq; hactenus de Ariſidienſis Cathedræ inſtitutione, & progreſſu, nunc ſupereſt vt Epiſcopos, qui in ea ſederunt, quo ſit abſolutior Diſſertatio, recēſeamus.

De Epiſcopis. Primus fuit Deotharius Ferreoli, & Induſtriæ filius, Ansberti frater quod ad genus nobiliſſimum illi adſerendum ſatis eſt, vt ex notis Hiſtoricis ad Carmen quod vulgamus conſtat clariſſimè. Ille poſt

Digitized by Google

militiam ſæcularem Clericali militiæ nomen dedit, & inſtituendi Epiſcopatus Ariſidienſis liberalitate,& munificentia ſua occaſionem præbuit Aygulpho fratri, ab eoque dignus præ cæteris iudicatus eſt, qui dignitate illa ſublimaretur, & in noua illa Cathedra ſederet. Quanto tempore Epiſcopus vixerit incertum eſt, illud certum magna ſanctitate conſpicuam vitam egiſſe, & mortuum cælitibus fuiſſe annumeratum, quo proinde ſydere augeri debent Tabulæ Eccleſiæ Gallicanæ, in quibus nullum eius, vt neque Aygulphi fratris ſanctiſſimi, Metenſium Præſulis, neque eius de quo mox loquemur, Munderici vtriuſque nepotis veſtigium eſt, quod nempe Andræas Sauſſaius, vir alioquin eruditus, qui eas tabulas concinnauit viros illos ſanctitate conſpicuos, alioſque plures ignorauerit, quorum nos res ſanctè, & præclarè geſtas in Monarchia Francorum ſancta vulgandas ſcripſimus, quæ cauſa eſt vt de Deothario, & Munderico nonniſi ſtrictim agamus.

Secundus Mundericus Deotharij nepos, Anſberti ex Blithilde filius, qui primo poſtulantibus Clericis Lingonenſis Eccleſiæ, & Rege Guntranno adſentiente Tonſoratus eſt (vt Gregorius Turonenſis loquitur) & Epiſcopus ordinatus, vt cum Tetricus Lingonenſis Præſul grandæuus, & grauiter ægrotans decederet, illi ſufficeretur. Deindeque Guntrannum Regem iratum expertus, iuſſu eius in exilium actus, atque in turrim arctam, & detectam retruſus eſt; vnde cùm poſt

Digitized by Google

biennium exiiſſet, & aliquanto tempore cum Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo, viro ſanctiſſimo eſſet moratus, quod ſemel excitata in eum Guntranni ira haud quieſceret, ad Sigeberti regnum tranſiit, & Ariſidienſem Epiſcopatum patrui morte Paſtore vacuum, Pontifice Metenſi eligente, & Sigeberto Rege annuente adminiſtrandum ſuſcepit, quæ omnia ex Turonenſis Hiſtoria, & veteribus Genealogiis hauſta fuſiùs exequimur in hiſtoria vitæ eius à nobis in ópere Regio ſuperiùs citato pertexta, vbi etiam de ſanctitate illius miraculis adeo illuſtrata, atque in Notis Hiſtoricis quas ad Carmen editum adiecimus numero 14.

3. Emmo, de quo præter nomen, & dignitatem Epiſcopalem, ac Epiſcopatum, quem inſedit, id duntaxat nouimus, interfuiſſe illum Synodo in Ciuitate Remenſi ſub Sonnatio, eius Ciuitatis Epiſcopo celebratæ, cum multis aliis Epiſcopis, inter quos recenſitus inuenitur, *Emmo Ariſitenſis*, quorum omnium quam habemus notitiam, debemus vni Flodoardo Remenſi Presbytero in hiſtoria Remenſi lib. 2. cap. 5. vbi de illa Synodo agit, & Epiſcopos, qui magno numero illi interfuerunt, recenſet, atque inter eos Emmonem, vnde conſtat certiſſimè inſtitutionem Epiſcopatus Ariſidienſis nequaquam à Gallicæ Præſulibus, ceu illegitimam reprobatam, alioquin enim haud paſsi fuiſſent tot, tantique Epiſcopi Remis congregati, Emmonem Synodo vna cum ipſis intereſſe, & ſuo ordine actis eius ſubſcribere, ſed quaſi illegitimum repuliſſent, nec defuiſ-

Digitized by Google

ſet illis exemplum recens, nam cum Promotus quidam ordinante Sigeberto Rege Epiſcopus inſtitutus fuiſſet in Dunenſi Caſtro, quod erat Diœceſis Carnotenæ, Rege mortuo iudicio Epiſcoporum amotus eſt, conceſſumque illi, vt Presbyterij officio fungeretur, & quamquam Sigeberti ſucceſſorem adiiſſet, vt noua Cathedra Epiſcopali potiretur, obſiſtente Pappulo Carnotenſi Epiſcopo, minime obtinuit fuitque 1. & vltimus Dunenſis Caſtri Epiſcopus, vt tradit Gregorius lib. 7. cap. 17. quod ſummè obſeruandum putamus, ſit enim inde Eccleſiaſticæ Galliarum Hiſtoriæ intereſſe, vt quæ de illa Sede, eiuſque Præſulibus ſuperſunt non ignorentur, quæ fuit nobis huius Diſſertationis inſtituendæ occaſio, cuius laborem, Lector erudite, æqui bonique conſule, &

Siquid nouiſti rectius iſtis
Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.

Cæterùm haud putamus omittendum poſt ſcriptam Diſſertationem occurriſſe nobis duos Scriptores, qui de Epiſcopatu Ariſidienſi egerunt: Alter eſt Aubertus Miræus in Notitiā Epiſcopatuum orbis Chriſtiani, vbi tamen nihil habet de eo Epiſcopatu, niſi quod à Gregorio Turonenſi accepit. Alter eſt Meuriſsius Epiſcopus Madaurenſis in hiſtoria Pontificum Metenſium lib. 2. in Aygulpho, vbi plura habet, quam cæteri, quos laudauimus; ſed quæ ita attigit, & exhibuit, vt minimè diſcuſſerit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google